

COMMENTARII
DE REBUS
IN
SCIENTIA NATURALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XV. PARS III.

LIPSIAE MDCCCLXX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam

Amstelodami apud I. Schreuder, et Petr. Mortier, Londini apud
Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Patauui apud I. Mansf,
Holmiae apud L. Salviuim.



I.

Histoire naturelle générale & particulière, avec
la description du cabinet du Roi, Tome
treizième, à Paris de l'imprimerie Royale,
1765. 4. Alph. 2. pl. 10. tabb. aen. 59.

i. e.

Historia naturae vniuersalis et particularis vna
cum descriptione musei regii. Tomus
XIII. etc.



Pergit Cl. **BUFFON** in hoc tomo in
consideratione naturae generali, quam
in praecedenti tomo inchoauerat.
Quantum autem iudicare licet, Cl.
Auctor demonstrare annititur, caussam omnium
phaenomenorum materiae rudioris vim quan-
dam esse, hancque cum calore coniunctam mo-
leculas viuas, a quibus omnes effectus sub-
stantiarum organisatarum pendeant, producere.
Licet vero ingeniose satis rem exposuerit Cl.
BUFFON, tamen hinc inde quaedam occurrunt, vbi
sententiae Cl. Auctoris suffragari non possumus.

B b 2

Hoc

Hoc certum est, potentias, quae animae competunt, a potentiis materiae diuersas omnino esse.

p. I.

Transeamus ad historiam animalium, quorum primum *Giraffa* seu *Camelopardalis* est, qui Ill. LINNAEUS ceruus (*camelopardalis*) cornibus simplicissimis, pedibus anticis longissimis dicitur. Animal hoc ex pulcherrimis et maximis est; innocuum dicitur, simul autem maxime inutile: dissimilitudo enim erurum posteriorum cum anterioribus, quae illis multo longiora sunt, exercitio virium obstat. Ingressus eius vacillans et motus lenti apparent. In desertis locis Aethiopiae aliarumque provinciarum Africæ meridionalis et Indiae occurrit, neque tamen magna in copia deprehenditur. Quantum ex variis auctoribus elucescit, animal hoc, ab inferiore parte pedum anteriorum ad verticem capitis usque computatum, pedes septendecim alatum est. Natura mansuetum esse dicitur et quoad corpus et naturam camelo potius, quam vlli aliis animali simile est. Ad ruminantia pertinet, cum dentibus incisiis in maxilla superiore careat. Ceterum duo cornua parua in fronte habet, quorum substantia nondum satis nota est *). Cl. BUFFON enim tale animal non vidit, sed descriptionem hanc ex aliis communicat. Icon huius animalis deest.

p. 16.

2) *Lama*; Ovis Peruana MARGRAVII, Camelus (glama) dorso laeui, topho pectorali LINN. et Paco, Ovis Peruana paco dicta MARGRAV. Camelus (pacos) tophis nullis corpore lanato LINN. Vtrumque animal in America tantum occurrit, montesque Americae meridionalis inhabitat. Per naturam

*) De *Giraffae* charactere vid. Cl. PALLAS Miscell. zoolog. pag. 10. Comment. hor. Vol. XV. p. 239.

naturam haec animalia non mansueta sunt, nunc autem inter domestica nutriuntur, licet etiam multa adhuc in desertis reperiantur. Regnum Peruandum *lamae* solum patrium est, ubi copiose occurrit magnumque usum praestat. Eius enim caro edulis est, pilique lanam bonae indolis praebent. Oneribus gerendis destinantur et ad ducentas libras gestant. Tarde incedunt, nec ultra quinque millaria per diem procedunt. Subitum incrementum capiunt *lamae* tertioque anno ad procreandum aptae sunt; anno duodecimo viribus decrescunt et decimo quinto in statu senili sunt. Natura sua animal hoc mite et phlegmaticum est; herbis vescitur et quidem inter eundum; nunquam tamen sub nocte cibum capit, quo tempore potius ruminat. Quando laboribus obruuntur, hisque succumbunt, animalia haec frustra ad erigendum excitantur, siue ductores male ea tractare pergunt, se ipsa tunc interimunt, dum versus terram caput utrinque impingunt. Nec pedibus, nec dentibus se defendunt, sed sputum tantum in faciem ductoris eiiciunt; saliuia autem irritati animalis adeo acris esse dicitur, ut vesiculas in cute excitet. Lama quatuor pedes alta et quinque vel sex pedes longa est. Caput eius bene conformatum, oculi magni, rostrum aliquantum elongatum, labia crassa, superius fissa, inferius pendula apparent. Dentes incisi et canini in superiore maxilla desunt: aures quatuor pollices longas facile mouet. Cauda octo pollices longa est; pedes, ut in boue, fissi sunt, a postica tamen parte calcare muniti, cuius ope animal se in locis aggressu difficilioribus affigit. Lana eius in dorso breuis, ad latera vero et sub ventre longa est. Color animalis vel albus, vel niger, vel variegatus comprehenditur. Valde lascivum dicitur animal, rem tamen venereum difficulter exercet. Foemella

se in terram prosternit, masculumque suspiriis iniutat. Pullum vnum, raro duos, parit. Lama non mansueta fortior, viuidior et celerior est, quam domestica; illa vt ceruus currit et vt rupicapra rupes scandit. Gregatim ad tercentum vsque numero incedunt et in regionibus, glacie et niue tectis, melius quam in temperatis se habent.

p. 28. *Paco*, animal minus, nec tam vtile, quam lama est; pellem tamen meliorem fert. Mores eiusdem et indoles eadem, quae lamae est; eadem loca inhabitat; lanam tamen longiorem et densiorem praestantioremque habet. *Paco* respectu lamae idem fere est, quod asinus respectu equi esse solet. Figurae duorum horum animalium hic desiderantur.

p. 34. 3) *Vnau*; *Bradypus* (*dictatylus*) manibus dactylis, cauda nulla LINN. et *Ai*; *ignauus* MARGRAV. *Bradypus* (*tridactylus*) manibus tridactylis, cauda breui LINN. Licet utriusque animali ob lentorem in motu et ob tarditatem in gressu nomen ignauorum, quod etiam aliis animalibus datur, a nonnullis imponatur, tamen ad euitandam confusione nomina, quibus in locis natalibus insigniuntur, retinet Noster ac notat, animalia haec, quamquam vario respectu conueniunt, tamen tum in exterioribus, tum in interioribus differre, ideoque diuersas species esse. Ita enim *Vnau* nullam caudam et duos tantum vngues in pedibus anterioribus habet; *Ai* autem cauda breui tribusque vnguis in quois pede instratum est: *Vnau* rostrum longius, frontem magis eleuatam, aures magis conspicuas, quam *Ai*, ostendit; color etiam pilorum alias est, immo viscera in utroque diuersum situm habent et nonnullae partes interiores in hoc aliter, quam in illo conformatae sunt. Characterem tamen maxime distinctuum simulque plane singularem numerus costarum praebet, siquidem in *Vnau* costae quadraginta

ginta sex, in *Ai* autem viginti octo deprehenduntur. Animalia haec ad ruminantia pertinent, licet neque cornibus aut vngulis, neque etiam dentibus incisoriis in inferiore maxilla instructa sunt: plures tamen ventriculos, ruminantium more, habent, a quibus tamen in eo differunt, quod intestina ipsorum admodum brevia sint. Differunt etiam ab aliis animalibus eo, quod vrina in iisdem et excrementa per cloacam communem, vt in auibus, excrenatur. Animalia haec tantum in America deprehenduntur, foliis fructibusque silvestribus vescuntur, ac multum temporis, dum aliquot passus incedunt, aut arbores scandunt, consumunt, ita, vt vnius diei spatio vix quinquaginta passuum viam absoluere possint.

Ex anatomica descriptione notamus, *Vnau* di-p. 49. gitis duobus in pedibus anterioribus, digitisque tribus in pedibus posterioribus, vnguibusque valde longis et curuis instructum esse. Praeterea ventriculi quatuor, vt in boue, sed aliter conformati, intestina singulari modo conuoluta, hepar nulla vesicula fellea instructum et canalis intestinalis tres pedes longus, lingua crassa inque anteriore parte ampla deprehenditur. Dentes numero octodecim sunt, in superiore nimirum maxilla vtrinque dens caninus unus et dentes molares quatuor, in inferiore autem itidem dens caninus unus et molares tres, nulli autem incisiui apparent. Vertebrae dorsales numero viginti tres, vertebrae lumborum autem quatuor sunt; os sacrum vertebris spuriiis quatuor, et coccygis os, octo vertebris constat. Ex p. 60. descriptione anatomica animalis *Ai* in genere notandum est, illud quoad formam corporis erumque et numeros dentium cum *Vnau* conuenire, ab hoc tamen differre, quod in quoouis pede tres vngues,

aliam viscerum situm vertebrasque spurias caudae quindecim habeat.

- p. 72. 4) *Surikate*, ('viuerrae species) paruum animal rapax est, inque Surinamo et aliis prouinciis Americæ meridionalis occurrit. Carnis ouorum et piscium cupidum est, propriamque vrinam libenter biberit. Quoad figuram corporis et aurium in primis viuerrae ichneumoni LINN. quoad nasum productum autem viuerrae nasuae magis simile est. Color in naso et circa oculos et aures niger est, macula in fronte fusca, latera vero capitis, oris atque gulæ alba sunt; reliquæ corporis partes colorem mixtum ex albo, fusco, flavescente et nigro habent. Animal libram unam unciasque tredecim pondere aequauit; pedibus tetradactylis instruitur. Hepar vesiculam felleam lobosque quinque habet; lingua ampla, tenuis, in que apice rotunda apparet. Dentes, qui cum dentibus carniuorum et in primis hyasnae multum conueniunt, numero triginta quatuor sunt, in inferiore nimirum maxilla dentes molares decem, in superiore autem octo, et in quauis duo dentes canini longi, sexque parui incisorii reperiuntur. Vertebrae dorsales quatuordecim totidemque costae, vertebrae lumborum autem sex, ossis sacri vertebrae spuriae quatuor, caudae viginti sunt.
- p. 75. p. 87. 5) *Tarsier*; nomen hoc a Cl. BUFFON paruo animali ex murino genere ob tarsos insigniter longos datum est. Animal hoc, ratto non maius, pedes pentadactylos, anteriores valde paruos et posteriores admodum longos, caudamque elongatam in apice pilosam, et oculos magnos habet. Dentes in vniuersum triginta duo in eo inueniuntur, in qualibet nimirum maxilla duo incisiui acuti, duoque canini, retrorsum curuati, et in quouis latere dentes molares sex conspicuntur.

6) *Phalanger*;

6) *Phalanger*; nomen hoc paruo animali ex p. 92. didelphidis genere *) in America meridionali occurrenti, hanc ob rationem imposuit Cl. B U F F O N, quod phalangas singulariter conformatas habet; putatque, animalculum hoc ad didelphidem muri-
nam, quam *Marmosam* dicit, proxime accedere, ab eo autem quoad caudam, maxime elongatam, dein quoad os elongatum et formam dentium differ-
re. Caeterum colorem maris et foemellae diuer-
sum esse, monet. Pedes huius animalis digitis quin- p. 94.
que instructi sunt, quorum duo minores, duoque
longiores apparent; pollex autem, ceu quintus
digitus, ab illis remotus, ad latus tali situs est.
Omnes digitii praeter pollicem vnguis armati
sunt. Coecum intestinum crassum et valde longum,
vesicula fellea itidem magna est. Dentes in maxilla
superiore octodecim, octo nimirum incisiui, magni-
tudine et forma valde diuersi, et decem molares,
in maxilla inferiore autem dentes quatuordecim
numerantur. Vertebrae dorsales numero tredecim
totidemque costae, vertebrae lumborum autem sex
sunt; os sacrum duabus tantum vertebris spuriis, et
cauda viginti nouem constat.

7) *Coquallin*, nomen ex Americano contra- p. 109.
Etum, animal indicat, quod ob figuram sciuro qui-
dem simile est, ab eo autem tum indole, tum
moribus, diuersum est. Sciuro maius, in ventre
colorem pulchre luteum, in reliquis autem parti-
bus colorem ex albo, nigro, fusco et aurantio va-
riegatum habet. Cauda sua, vt sciurus, se obte-
git; arbores non scandit, sed in cauernis et sub ra-
dicibus arborum se abscondit; seminibus et fructi-
bus vescitur; callidum est, nec cicurari se patitur.

Bb 5

Palmas

*) Est didelphis orientalis PALLAS *Miscell. zoolog.* p. 54.
Comment. nostr. Vol. XV. p. 243.

Palmas tetradastylas, plantas pentadastylas habet,
et forte ad sciurum aestuantem LINN. pertinet.

p. 117. 8) *Cricetus*; mus (cricetus) cauda subabbre-
uiata, articulis rotundatis, corpore subtus nigro,
lateribus rufescentibus LINN. germanis *Hamster*.
Hoc animal ad rattorum genus pertinet, et prae-
cipue ratto aquatico simile est. In terrae cauer-
nis habitat; color in dorso et circa caudam rutilus,
circa guttur candidus est. Pedes habet admodum
breues. Pili sic inhaerent cuti, vt ex ea difficulter
euelli possint; ob quam cauillam aequa ac ob varie-
tatem pelles eius pretiosae sunt. Pedibus anterio-
ribus terram effodit, plures cuniculos facit, in-
tusque antra ad colligenda frumenta sibi paret.
Vescitur omnis generis frumento, messisque tem-
pore grana colligit. In agro etiam mures vena-
tur. Dum cibum capit, in pedes priores erigitur,
et ambobus mandit. Foemella bis vel ter quoquis
anno partum enititur, unoque partu quinque sexue
pullos edit. Haec animalia se inuicem interficiunt.

p. 126. Hostes eorum martes siluestres sunt. In hoc
animali ad maxillam inferiorem vtrinque vesiculae
amplae membranaceae sub cute reperiuntur, quas
dictum animal facci instar tempore messis granis in-
farcit, quae in cuniculos suos in futuram hyemem
congerit et reponit. Ventriculus ei duplex est;
vesicula fellea nulla. Linguam, vt ratus, mollem
et spongiosam habet. Dentes sedecim, vt in ratto
vulgari, sunt, similesque vertebrae et costae, nec nisi
quatuordecim vertebrae spuriae caudae reperiuntur.

p. 136. 9) *Boback*; nomen polonicum animal notat,
quod, a BRISSONIO marmota polonica nomina-
tum, a Cl. BUFFON ad marmotas refertur. A
marmota enim alpina non nisi colore differt, qui
in *Boback* multo magis pallide flauus est: differt
etiam quoad pedes, siquidem in pedibus anterio-
ribus

ribus pollicem seu potius vnguem habet, cum tamen in marmota alpina quatuor tantum digiti absque pollice deprehendantur. De reliquo in omnibus conueniunt. Idem obseruatur de *Marmota Canadensi*, quae etiam *Monax* dicitur, vero ab ea cauda longiore pluribusque pilis instruta differt. *Canadensis* Europaeis minor est, ea autem minus est animal *Sibiriae*, a Russis *Fevrashka* dictum. Huius animalis corpus crassum, color pilorum fuluus cum griseo mixtus est; extremitas autem caudae fere nigra apparet. Crura brevia sunt, posteriora tamen anterioribus longiora. Pedes posteriores digitis quinque totidemque vnguis, anteriores autem quatuor instructi sunt. Pedibus posterioribus insistit, dum cibum capit, quem anterioribus apprehendit. Aestate pariunt, et plerumque quinque vel sex pullos gignunt. Cauernas sibi parant, ibidemque hyemem transigunt. Hoc tamen *Sibiriae* animal a marmota alpina differre videtur, siquidem in eadem regione marmota quoque reperitur, nec vtrumque animal coire dicitur.

10) *Gerboise*; sub hoc nomine generico a Cl. p. 141.

BUFFON animalia indicantur, quorum pedes anteriores pedibus talpae minores, posteriores autem auis pedibus similes sunt. Quatuor ad hoc genus referuntur species; 1) *Tarfier*, de quo supra mentio facta est; 2) *Gerbo* seu *Gerboise* propriæ sic diæta, quae a Cl. HASSELQUIST mus (iaculus) pedibus posticis longissimis, cauda extrema villosa, palmis tetradætylis, plantis pentadætylis nominatur; 3) *Alagtaga* a Cl. GMELIN cuniculus pumilio saliens, cauda longissima diæta, cuius crura, vt in praecedenti animali se habent, pedes autem anteriores, digitis quinque, et posteriores, digitis tribus cum calcare, pro pollice seu quarto digito habendo, instructi

instructi sunt. 4) *Daman Israel*, ab Ill. LINNAEO
mus (longipes) cauda elongata vestita, palmis tetra-
dactylis, plantis pentadactylis, femoribus longissimis
vocatur. *Gerbo* magnitudine corporis, muri do-
mestico maiori, aequalis est; caput vt in cuniculo, ocu-
li autem maiores auresque breuiores apparent; ri-
ctus valde paruus, maxilla superior inferiore lon-
gior, dentes vt in cuniculo, mystax longus, cauda valde
longa deprehenditur. *Alagtaga* cuniculo minor est;
aures eius longiores, maxilla superior inferiore mul-
to longior, mystax admodum longus, dentes, vt in
ratto, cauda valde longa est. *Gerbo* in Circas-
sia, Aegypto, Barbaria et Arabia, *Alagtaga* autem
in Tartaria ad Volgam, vsque ad Sibiriam occur-
rit. Vtrumque tamen animal vnicam speciem
constituere et varietates tantum esse, Cl. BUFFON
autumat. Animalia haec nunquam per gradus, sed
per saltus, et quidem, vt aues, erecta incedunt. Sal-
tus eorum trium quatuorque pedum mensuram ex-
plent. De die dormiunt; granis herbisque viuunt;
cunicolorum more cauernas sibi parant et ad fi-
nem aetatis grana in iisdem colligunt. Quod ad
Daman attinet, ex relatione Cl. SHAW, notat No-
ster, eum hoc animal cum *Gerbo* comparasse.

p. 150. 11) *Mangouste*; ichneumon; viuerra (ich-
neumon) cauda e basi incrassata sensim attenuata
LINN. Animal hoc in Aegypto domesticum est,
vt felis in Europa; ad fugandos mures et rattos
utilissimum dicitur; verum aues quoque, quadrupe-
da, serpentes, lacertas, infecta et quicquid ei vi-
tam habere videtur, venatur, iisque vescitur.
Neque canum iras, neque felum malitiam, neque
etiam serpentum morsus metuit, hosque etiam ma-
xime venenatos persequitur et interficit, siue vene-
num se accepisse sentit, radicem quandam effodit,
qui ab Indis nomen huius animalis *Mungo* (Ophior-
rhiza

rhiza Mungos LINN.) datur, quaeque ibidem pro optimo remedio contra mersus viperae seu aspidis habetur. Idem istud animal oua crocodillorum et auium exsugit, immo crocodillos minores interficit et vorat. Ripas libenter inhabitat. Gressus eius variant. Oculi viuidi sunt; physionomia bona indolis, corpus admodum agile, crura brevia, cauda crassa et valde longa, pilique rudes et saepe spinosi quasi reperiuntur. Tum in mare, tum in foemella folliculus ad annum reperitur, in quo humor odoratus secernitur, ipse autem folliculus ab animali exaestuante aperitur. Subitum incrementum capit animal, nec longam vitam agit. In Asia meridionali et Aegypto ad Iauam usque copiose occurrit. In regionibus temperatis non propagatur, sed eo delatum, breui tempore obit.

12) *Fossane* seu *Fossa*, animal ex viuerrae generi p. 163. nere, in Madagascar obuum, nomen etiam *Genette de Madagascar* habet; minus tamen est, nec folliculum odoriferum, ut putant, habet. Licet paruum sit, ferox tamen est et difficulter cicurari se patitur. Oculus eius globum nigrum, ratione magnitudinis capitis admodum magnum fistit, qui animali huic vultum atrocem dat.

13) *Vansire*; *Mustela Iauanica* SEBAE, valde p. 167. simile quidem est viuerrae, sed ab ea quoad dentes differt. In viuerrae enim maxilla superiore dentes octo, in illo autem animali duodecim reperiuntur. Caeterum maxilla inferior aliter in hoc, quam in viuerra comparata est, et color pilorum etiam differt, qui in hoc fuscus est.

14) *Makis*; nomen genericum est, sub quo p. 173. tres species comprehenduntur; 1) *Mococo*; lemur (catta) cauda annulata LINN.; 2) *Mongous*; proximia fusca BRISSON. lemur (macaco) cauda nigra collari barbato. LINN. 3) *Vari* seu *Varicoffi*. In his anima-

animalibus cauda longa et pedes, ut in simiis conformati deprehenduntur; rostrum vero eorum elongatum est, inque maxilla inferiore dentes incisi sex reperiuntur, cum in simiis quatuor deprehendantur.

p. 175. *Mococo* figuram elegantem habet et ob magnitudinem oculorum et crura posteriora, quae anterioribus multo longiora sunt, notatu dignum est. Cauda magna semper exponit, semperque mota, triginta annulis nigris et albis, mutuo se inuenientibus, notata apparet. Mores huius animales lenes sunt, facileque cicurari se patitur. Obliquo gressu, more omnium animalium, quae loco pedum manus habent, incedit. Facilius saltat, quam incedit. Corpus magnitudinem felis habet, sed longius est. Pili tactu leues semper exponit, sunt. Partes generationis paruae et absconditae sunt. Vox parua est.

p. 176. *Mongous* praecedenti animali minus est, pilique eius, ut in illo, sericei sunt. *Salax* animal vocem edit grunnitui similem. Testiculi pro corporis ratione admodum magni sunt. Cum felibus absque effectu coit. Frigus et humiditatem fugit.

p. 178. Pane et fructibus nutritur. *Vari*, caudatum est animal auriculis guloque barbatis, *Mococo* maius et ferocius. Vox eius rugitum leonis aliquo modo imitatur. Horrenda haec vocis vis in animali mediocris magnitudinis, a singulari stratura asperae arteriae pendet, cuius duo rami dilatantur, amplumque cauum formant, antequam in bronchias distribuuntur. Rostrum, habita proportione, in eo maius et longius quam in lemure catta LINN. auriculae multo breuiores, longisque pilis ad margines obsitae reperiuntur. Oculi coloris aurantii sunt, ita tamen, ut fere rubri appareant. Tria haec animalia circa Madagascar et vicina loca, nec unquam in America occurrunt.

Ex descriptione anatomica notamus, coecum p. 181, intestinum in specie, quam Ill. BUFFON *Mococo* vocat, reliquorum intestinorum maximum, linguamque tenuem, ad apicem rotundam, papillis obsitam fuisse. Dentes numero triginta octo sunt; in maxilla superiore quatuor incisiui et duo canini, in inferiore autem sex incisiui duoque pariter canini et in utraque maxilla vtrinque sex molares; vertebrae dorsales duodecim, totidemque costae et vertebrae lumborum septem numerantur; os sacrum ver. p. 198. tebris spuriis tribus, et cauda triginta tribus constat. *Mongous* s. *lemur macaco* LINN. in pluribus partibus cum *Mococo* conuenit, praeterquam quod cauda vertebris spuriis viginti tribus constet. *Vari* coecum intestinum habet, quod quidem longum, sed non amplum est. Dentes et vertebrae eius p. 210. hic non descriptas deprehendimus.

15) *Loris*; s. *lemur* (*tardigradus*) ecaudatus LINN. Edit. XII. animal paruum Ceylanicum est. Nullam caudam, caput rotundum, oculos admodum magnos, sibi maxime vicinos, auriculas amplas et rotundas habet. Notatu etiam dignum est, foeminam virinam per clitoridem emittere. Vterus in hoc et p. 213. praecedentibus tribus animalibus duplex est, cum simplex in simiis reperitur. Vertebrae dorsales in hoc animali quindecim totidemque costae, vertebrae vero lumborum, quod notatu dignum, novem deprehenduntur. Os sacrum, vertebribus qua. p. 226. tuor, et coccygis os, quinque partibus constat.

16) *Vespertilio Americanus vulgaris* SEBAE; *vespertilio* (*perspicillatus*) ecaudatus, naso foliato piano acuminato LINN. a Cl. BUFFON *Chauve-Souris fer de lance* nominatur, hanc quidem ob rationem, quod in rostro appendicem seu membranam habet, quae hastae ferreae (*fer de lance garni de ses oreillons*) similis est. Animal hoc nullam fere caudam,

dam, in maxilla vero inferiore dentes incisiuos quatuor habet, cum tamen in plerisque vespertilionum speciebus, sex deprehendantur.

p. 233. 17) *Serual*, a malabaricis *Maraputē* nominatum, animal ferox est, ex felino genere fele silvestri maius viuerraque zibetha paulo minus, a qua ratione capitis differt, quippe quod in *Serual* rotundius est. Quoad pilorum colorem pantherae fere simile est, cum corpus fuluum, maculis rotundatis, nigris pictum, habeat. Oculi fulgidi, mystax setis longis rigidisque ornatus, cauda mediocris, pedes longi vnguis longis et curuis armati sunt. Arbores inhabitat, ibidemque auibus vivit et raro in terram descendit. Natura ferox est, adspectum hominum tamen fugit, irritatum vero, in primis si domicilium eius destruitur, furiosum fit, homines inuadit, mordet, et ut panthera dilacerat. Ceterum istud animal cum fele tigrina Senegalensi et Capitis Bonae Spei, idem esse, Cl. BUFFON monet.

p. 239. 18) *Ocelot*; *Catus pardus Mexicanus HERND.* *felis (pardalis) LINN.* in America occurrit. Quoad figuram et indolem animalibus, *Juguar* et *Cougar* dictis, simile est. Color eius pulcher et roseus est, in ventre tamen albus. Maculis roseis, nigricantibus, intra suauiter rubentem colorem notatum corpus est. Adultum duos pedes cum dimidio altum et quatuor longum est, caudamque longam habet. Animal hoc admodum vorax, simul tamen timidum dicitur: raro homines inuadit, canes fugit, et ab his exagitatus sylvas intrat, arbores scandit, ubi etiam ad dormiendum et ad captanda animalia se retinet, quippe in quae insilit, sanguinemque eorum exsugit, quem carni praefert; hinc magnum numerum animalium destruere dicitur. Cicurari se non patitur, sed semper ferox manet.

manet. Foemella plerumque duos tantum pullos parit.

19) *Margay*; *felis sylvestris tigrina* SEBAE et p. 248.
BRISSONII, feli sylvestri quoad magnitudinem et figuram similis est, rostrum tamen breuius, aures rotundiores et caudam elongatam habet. Corpus ex griseo flauescit, maculis nigris virgatis variegatum. Animalia parua et aues vorat. Difficulter cicurari se patitur, semperque ferocitatem naturalem retinet. In America occurrit. Ad leopardi seu pantherae genus aliud quoque animal, *Guepard* dictum, hic refertur, quod quoad pellim lynci simile est, crinesque quatuor vel quinque pollices longos ad collum et intra scapulas habet, qua in re a panthera et leopardo differt.

20) *Chacal*; *lupus aureus KAEMPFERI canis* p. 255.
flavus, *lupus aureus BRISSONII canis aureus LINN.*
 et *Adiue* duo animalia sunt, de quibus Cl. BUFFON dubitat, utrum species diuersae sint, nec ne; notat tamen *Chacal* esse maius et ferocius et difficilius cicurari posse, quam *Adiue*; caeterum in omnibus sibi similia esse. In Armenia, Cilicia, Persia et in omni oriente obuium est *Chacal*, quod vulpis magnitudinem plerumque habet, cui etiam valde simile est, praeterquam quod crura brevia habeat. Pili eius pulchre flauescunt, quam ob rem nomen lupi aurei obtinuit. *Chacal* medium inter lupum et canem tenet. Cateruatim ad viginti, triginta et quadraginta prædatum excurrit in rura, omneque, quicquid ei occurrit, deuorat. Cadavera, hyaenae ad modum, effudit, huicque vieti assuetum, ad coemeteria semper concurrit atque exercitus et societas peregrinantes ob id sequitur. Inter quadrupeda idem est, quod inter aues coruus; caro enim vel maxime putrida ei nauseam non mouet, qua in re cum hyaena conuenit, sed ea peius est; siquidem hyaena solitarium

animal est; et, licet fortior et maior, cane aureo, sit, tamen non adeo molesta est, sed cadaueribus contenta, viuos non aggreditur. *Chacal* vero qualitates pessimas canis et lupi coniunctas habet.

p. 272. 21) *Isatis*; *Canis (lagopus)* cauda recta, apice conc colore LINN. speciem medianam inter vulpem et canem sifst. In regionibus septentrionalibus, mari glaciali vicinis, occurrit. Quoad corporis formam et longitudinem caudae vulpi, et quoad capitis formam cani simile est. Pellis eius perbella est. Color horum animalium interdum albus, interdum ex coeruleo cinereus est. Mense martio coeunt, et in coitu, canum more, separare se haud possunt. Gestatio nouem septimanas durat et foemella sex, septem vel octo pullos edit. Rattis, leporibus et auibus viuit, tamque astutum, ut vulpis, est. Hostes eius gulones sunt. Vulgari nomine *Peretz* dicitur.

p. 278. 22) *Glouton*; *Mustela (gulo)* plantis fissis, corpore rufo-fusco, medio dorso nigro LINN. In pluribus regionibus septentrionalibus Europae et Americae occurrit. Cum hyaena saepe confunditur, qua cum quidem ob voracitatem conuenit, sed diuersum animal est. Formam fere melis habet: caput eius breue, oculi parui, dentes admodum fortes, corpus crassum, cauda breuis; color in dorso niger, ad latera ex fusco fuluus est. Pellis pretiosa habetur. Lento gressu incedit; arbores scandit, tuncque a tergo animalia, in primis alcen et ceruum rangiferum insilit et deuorat. Nullum animal, praeter castorem, cursu attingit. Ad hominis adspectum non fugit, sed ei obuiam it, idque non ob audaciam, sed, quod viribus omnia animalia superare dicitur, ideoque nullum metuit. Carne et piscibus vescitur, cadaueram effodit, eaque ad ossa usque deuorat.

23) *Mouffette*; nomen genericum est, sub quo p. 287. tres vel quatuor species viuerrae LINNAEI comprehenduntur, quae, irritatae, odorem tam fortem, tamque malum de se spargunt, ut vaporis subterranei instar, qui *mouffete* dicitur, suffocet. In America occurunt et a peregrinatoribus plerumque *Putorii* nomen accipiunt. Prima species a Cl. BUFFON *Coase*, nomine americano contracto, vocatur; secunda *Chinche* appellatur; tertia *Conepate* et a Cl. BRISSON *Putorius striatus* nominatur. Quarta *Zorille* nomen habet. *Coase* sedecim pollices longum est. Crura eius brevia, rostrum tenue, aures paruae, pili obscure fusi, vngues nigri et acuti sunt. In caueris rimisque rupium habitat; scarabaeis, vermisibus paruisque auibus viuit. Irritatum animal abominandum odorem de se spargit. *Chinche* et *Zorille* ad calidissimas Americae regiones pertinent, *Coase* autem et *Conepate* in regionibus temperatis nouae Hispaniae, Louisianae, terrae Illinensium et Carolinae occurunt, atque a prioribus differunt, diuersasque species sистunt. In primis *Coase* se distinguit; siquidem in pedibus vngues quatuor, reliqua autem quinque habent. Caeterum animalia haec fere eandem figuram, eundem instinctum, eundemque foetorem detestabilem habent, nec nisi colore et longitudine pilorum differunt. *Coase* pilis fuscis vestitum est; *Conepate* autem nigros pilos cum quinque striis longitudinalibus albis habet. *Chinche* in dorso album et ad latera nigrum est, simulque nigrum caput habet, excepta stria alba, in fronte et nucha; cauda eius densa longisque pilis instructa est. *Zorille* praecedenti minus est, similem caudam similesque strias albas, aliter paullo excurrentes habet. Animalia haec figuram et magnitudinem mustelae europaea habent et a peregrinantibus plerumque animalia foetentia seu infantes diaconi vocantur.

- p. 304. 24) *Pekan et Vison* duo animalia Americana sunt, quae vix a mustela marte fagorum vel abietum LINNAEI differunt, et varietates tantum eius fistunt.
- p. 309. 25) *Zibelline*; mustela Zibellina GMELINI et LINN. quoad formam marti, quoad dentes vero mustelae (ermineae LINN.) similis est. Dentes incisiuos sex, valde longos et aliquantum curuos, una cum duobus caninis longis in maxilla inferiore, parvos autem et valde acutos dentes in maxilla superiore habet. *Mystax magnus* est; pedes ampli et quinque vnguis armati apparent. Color in aliis ex fusco nigrescens, in aliis ex fusco flauescens est, qui vero tempore aestatis mutatur; siquidem color ex fusco nigrescens, ex flavo fuscus, alter autem pallide flauus fit. Animal hoc in Sibiria in primis obuium, ripas fluuiorum, loca umbrosa sylvasque densissimas inhabitat. Ab una arbore in aliam saltu levissimo se mouet. Solem fugere dicitur. Rattos, pisces fructusque sylvestres in escam sumit. Captiuos inque exilium depulsos animalia haec venari, certumque numerum pellium apportare debere, fama refert. Venatus hyeme fit.
- p. 314. * 26) *Leming*; Mus (lemmius) cauda abbreviata, pedibus pentadactylis LINN. figuram muris, caudam tamen breuiores habet. Corpus eius quinque pollices longum est, quod pilis diuersi coloris vestitur. *Mystax longus* est. Rictus paruus, labium superius, vt in sciuro, fissum appetet. In maxilla superiore dentes incisiui duo longi et acuti, similesque in inferiore et in quavis maxilla vtrinque molares tres, ab incisiuis, vt in omnibus huius generis speciebus, remoti deprehenduntur. Lingua ampla est. Oculi parui et nigri, aures dorso impositae, crura anteriora valde brevia et quinque vnguis acutis et curuis armata sunt. Subito gressu incedit; montes in Norwegia et Lapponia

ponia inhabitat; interdum autem insignis horum animalium copia in planitiem descendit, tuncque agros miserrime deuastant. Cauernas, talparum more, sibi parant; certo tempore se congregant, tuncque coniunctim quasi moriuntur. Numerus horum animalium tam magnus est, vt emortuis aër inficiatur, multique morbi producantur. Herbas etiam, quas corroserunt, veneno inficere videntur; siquidem armata, quae his vescuntur, moriuntur.

27) *Saricovienne*; *lutra Brasiliensis* BRISSON. p. 319.
mustela lutris LINN. Amphibium fere est animal canis mediocris magnitudinem habet: caput, vt in fele, rotundum, rostrum aliquanto longum, vt in cane, dentes et mystax, vt in fele, oculi rotundi, parui et nigri, aures rotundae, subtus positae, digiti quinque vnguis fuscis et acutis armati, cauda longa, pili breues et valde molles, in dorso nigri, in capite autem fusci cum macula alba ad guttur deprehenduntur. Vox eius, vt canis iunioris est. Astacos marinos et pisces in cibum sumit. Pellem bonae indolis dat, eiusque caro edulis est (*).

28) *Loutre de Canada*; *lutra Canadensis*, *lutra* p. 322. nostra maior est, neque species singularis, sed varietas tantum eius Cl. BUFFON esse videtur.

29) *Phoque, Phocae*; *Morse*, *trichetus rosmarus* p. 330. LINN. et *Lamantin*, *trichetus manati* EIUSD. Nomena haec denominations genericae sunt. Sub *Phocae* nomine Cl. BUFFON quatuor comprehendit species; 1) *Phocam veterum* in mari rubro et mari Indico deprehendendam; 2) *Phocam communem*, f. *Phocam vitulinam* LINN. quae in Oceano repetitur; 3) *Phocam illam magnam* in Transactionibus philosophicis n. 469. descriptam et delineatam; 4) *Phocam admodum magnum*, f. *Phocam*

Cc 3

leoni-

(*) Optimam huius animalis descriptionem STELLERUS in *Actis Petropolitaniis* 1749. dedit.

leoninam, a Cl. ANSON descriptam. Sub nomine *Rosmari* duas intelligit Noster species; 1) *Vaccam marinam*, seu *Trichecum rosmarum* LINN. bestiam dentibus praegrandibus, in mari boreali reperiundam; 2) *Dugon*, quod species noua maris meridionalis est. Sub *Manati* demum nomine comprehendit *Trichecum manati* LINN. *Cayenensem*, *Dominicensem*, aequo ac *Senegalensem*, qui varietates tantum vnius eiusdemque speciei sistere videntur. *Phocas* et *Rosmaros* ad quadrupeda magis, quam ad cetaceum genus pertinere, Noster autumat, cum eis manus et pedes sint, *Manatos* autem, qui duos tantum pedes anticos, seu potius pinnas pectorales habent, ad cetaceum genus proprius accedere, omniaque haec animalia ab omnibus aliis quadrupedibus differre putat, quod sola sint, quae in aëre aequo, ac in aqua viuunt et ideo vnicē nomen amphibiorum merentur.

p. 333. *Phocis* est caput rotundum, vt homini, rostrum amplum, vt lutrae, oculi magni, sursum positi, aures externae fere nullae, sed duo tantum meatus auditiorii ad latera capitis, mystax circa rictum, dentes, lupi dentibus valde similes, lingua bifurcata, seu potius ad apicem serrata, collum bene figuratum, corpus, manus pedesque pilis breuibus et asperis vestiti, brachia nulla, sed duae manus seu potius duae membranae, quae quinque digitos, in quinque pariter vngues desinentes, continent; duo porro pedes absque cruribus, manibus similes, sed ampliores, retrorsum flexi; cauda valde breuis, corpus, piscis ad modum, elongatum, versus pectus vero tumefactum, ad ventrem angustum. Cerebrum et cerebellum, habita proportione, maius habent, quam homo. Sociales sunt, atque erga foemellas instinctum peculiarem, ergaque pullos attentionem insignem habent. Nec frigus, nec aestum metuunt. Herbis, carne et piscibus viuunt. Terram aequo ac glaciem inhabitant.

tant. In terram se recipientes repere magis, quam incedere coguntur, cum pedes, vt cauda piscium, retrorsum flexi, corpus sustinere nequeant. *Phocae* socialiter seu ad minimum in eodem loco numerosiores viuunt: loca natalia orae maritimae ad septentrionem sunt, in temperatis tamen climatibus quoque viuere possunt. Species pro diuersitate climatum variant, immo in vno eodemque climate plures dantur varietates. Sic *phocae maris mediterranei* et *meridionalis* a *phocis oceanii* differunt, et *phoca veterum non nisi phoca maris mediterranei esse* videtur. Sic etiam magna illa *phoca*, a Cl. P A N S O N S in Transact. Philos. descripta a duabus his speciebus differt. Foemellae hyeme pariunt, pullosque vel in cumulo arenae vel in rupibus edunt; erectae sedent, dum pullos latant, eosdemque diebus quatuordecim praeterlapsis ad natandum assuescunt. Duos tresue tantum pariunt; per plures menses vtero gestant, quoniam incrementum per plures annos durat; hinc etiam vita phocarum longa praesumitur. Vox phocarum pro aetatis diuersitate variat. Nec fulguris splendorem, nec tonitru fragorem haec animalia timent, et a tempestate procellosa et pluuiosa recreantur. A natura foetent, ac si in fugam coniiciuntur, ex ore, excrementa foetoris detestabilis eiiciunt. Multum et profunde dormiunt, tuncque facile capi, difficulter tamen interfici possunt, seque ad ultimum vitae halitum usque defendunt. Caro earum saporis non ingrati ideoque edulis est; cutis pellem rudiorem et pinguedo oleum dat, quod oleo omnium cetaceorum praefertur. *Phocae magnae maris Canadensis*, de quibus auctores sub nomine luporum marinorum loquuntur, pro eadem specie, quae lupos marinos maris Magellanici sistit, habendas esse, Noster conciit; sique relationibus peregrinantium fides habenda sit, quod limirum *phocae magnae* seu *leones marini*

marini ventriculos plures, paruae autem phocae vnum habeant, has a prioribus maxime diuersas esse et ad animalia carniuora, illas vero ad ruminantia referri posse, putat.

p. 358. *Trichecus rosmarus*, qui vulgo *vacca marina* vocatur, nullam conuenientiam cum vacca terrestri habet; marini potius elephanti nomen ei competit; quoniam, vt *elephantus*, duos dentes eburneos, ex superiore maxilla prodeuntes, habet. Est ei etiam, vt *elephanto*, caput difforme; nulla autem brachia, crura nulla, sed manus et pedes, vt *phocae*, corpus elongatum, anterius tumidum, versus posteriora angustum, pilisque breuibus vestitum habet. Manuum pedumque digiti membrana obuoluuntur inque vngues breues et curuos desinunt. Ad guttur magnae setae, mystacis instar apparent. Lingua serrata est. Auribus nullae conchae sunt. Caeterum si magni illi dentes eburnei, qui capitis formam mutant, insimulque dentes incisiui, qui in vtraque maxilla desunt, excipientur, *rosmarus* in omnibus *phocae* similis, sed maior tantum est et fortior. Maximae enim *phocae* ad summum septem vel octo pedes, *rosmari* autem plerumque pedes duodecim, immo sedecim, longi sunt, inque peripheria octo vel novem pedes habent. Eadem loca, quae *phocae*, inhabitant et inter earum agmen fere semper reperiuntur. *Rosmaris* eadem, quae *phocis*, indoles est; aquas aequa ac terras inhabitant, in glaciem pariter se conferunt; simili modo pullos latant et instruunt; eodem vietu vescuntur; itidem socialiter viuunt et cateruatim demigrare solent. *Rosmari* tamen species non adeo variat et praeter mare boreale raro admodum in aliis locis reperitur. Praeterea *phoca* veteribus, nec aequa *rosmarus* cognita fuit. *Rosmari* species olim numerosior existit, nunc autem ob piscatus frequentiores non nisi in

in mari glaciali reperiuntur. Praeter rosmarum et elephantum nullum animal dentes longos exsertos ostendit. Penis rosmari, ut in balaena, magnum os continet; foemella plerumque unum pullum edit, tempusque gestationis ad novem menses durare, ex magnitudine animalis conicitur. Animalia haec diu sub aquis viuere non possunt, sed vel ad lactandos pullos, vel ob alias causas in terram se conferre coguntur. Dentes illi longi eis ad adhaerendum et manus ad promouendum corpus inseruiunt.

Dugon animal maris Africae et Indiae orientalis p. 374. est et rosmaris magis, quam vlli animali simile. Caput eadem fere ratione conformatum est, exque maxilla superiore dentes duo laniarii exseruntur. Directio eorum non, ut in rosmaro se habet; multo breuiores et tenuiores, in maxilla superiore inclusi fere sunt, sibique proxime adiacent, cum tamen in rosmaro interuallum notabile deprehendantur. Licet autem hoc animal cum leone marino a quibusdam confundatur, tamen a phoca, ratione dentium differt.

Manatus nec quadrupes est, nec plane ad cetaceo p. 377. ceum genus pertinet; a quadrupedibus duos tantum pedes anticos, seu manus, nulos autem pedes posteriores, magnam e contrario caudam habet, ideoque ob partes posteriores cum cetaceo genere conuenit. Figura animalis disformis est; caput maius ut in boue, oculi parui, manus duae prope caput ad natandum; squamae nullae; cutis crassa. Animal hoc admodum mite est; flumina intrat, herbis, ad ripas crescentibus, vescitur; in superficie aquarum natat, iaculi ope interficitur, caro boni saporis est. Longitudo quindecim immo viginti pedes, peripheria autem sex pedum est. Aures ei externae nullae sunt, sed duo tantum foramina, cutis pilis rarissimis vestita, coloris cinerei, pollicem crassa. Foemellae

duas mammas pectorales habent et vnum pullum edunt. Cauda, vt in cetaceis, depressa est, dentes anteriores deficiunt, sed dentes molares triginta duo et vertebrae quinquaginta duae numerantur. Lingua ab inferiore parte ad apicem usque maxillae inferiori adhaeret. Mas cum foemella, tergo impo-sita, coit, partes generationis externae in foemella, vt in homine, sunt, penis autem, vt in equo. Alii tamen dicunt, partes generationis in utrisky hum-anis similes esse. Digihi quinque vnguis instru-eti sunt. Animalia haec non solum in mari et flu-minibus Americae, sed etiam ad oras Africanas in-que fluminibus Africae reperitur. *Manatus* tamen *Se-negalensis*, a Cl. ADANSON descriptus, a *Manato Cayennensi* non differt.

p. 395. Ex anatomica horum animalium descriptione sequentia notamus. Situs viscerum abdominalium in phoca, vt in quadrupedibus, est. Ventriculus quoad figuram ab aliis animalibus differt, quippe qui, habita proportione, ad magnitudinem animalis valde longus est. Intestinum coecum valde breue inque extremitate rotundum est, hepar, vesicula fellea instructum, praegrande atque magis longum et amplum, quam crassum est. Pulmones magni sunt, et in quoquis latere unus tantum lobe reperitur. Dentes triginta quatuor, sex nimirum incisiui, duo canini et decem molares in maxilla superiore, qua-tuor autem incisiui, duo canini et decem molares in maxilla inferiore reperiuntur, incisiui vero et canini, vt in canibus, felibus et leone sunt. Costae quinde-cim utrinque et vertebrae lumborum quinque nume-rantur; os sacrum ex vertebribus spuriis quatuor et cauda ex duodecim consistit.

p. 415. *Rosinari* caput a phocarum capite differt, eiusdemque singularis conformatio a duobus illis prae-longis dentibus exsertis dependet. Exeunt isti den-tes

tes ex parte anteriore maxillae superioris et deorsum quodammodo extrorsum et retrorsum flexi apparent. Viscera abdominalia eodem fere modo, ut in phoca, se habent, praeter intestinum coecum, quod tam paruum repertum fuit, ut externe tuberculo quasi simile appareret. Dentes molares sedecim numerantur, dentesque duo prominentes pedem unum et octo pollices cum dimidio longi sunt, eorumque substantia interior compacta est.

Manati descriptio ex embryone desumpta est: p. 425.
hinc paucis tantum notamus, ventriculum magnum saccum sistere, eiusque fundo appendicem sub forma coeci intestini adhaerere, praeter hanc autem duas alias appendices eo in loco, ubi curvatura est, reperiri. Praeterea vertebrae colli sex, vertebrae dorsales sedecim totidemque costas, caudae vero vertebrae viginti octo annotatas deprehendimus.

II.

Essai sur l'abus des règles générales; et contre les préjugés, qui s'opposent aux progrès de l'art des accouchemens, par Mr. ANDRÉ LEURET, Accoucheur de Madame la Dauphine, à Paris chez Prault et P. Fr. Didot. 1766. 8. 1 Alph. 1 ½ pl. tab. aen. 1.

i. e.

Dissertatio super abusu regularum vniuersalium et contra praeiudicia, quibus vltior perfectione artis obstetriciae impeditur, auctore ANDREA LEURET.

Consilium Auctoris celeberrimi in scribendo libello, cuius titulum modo indicauimus, hoc in primis fuit, ut communia quaedam praeiudicia, falsaque

que explicaciones regularum vniuersalium in cura grauidarum, parturientium, puerperarum, lactantium et infantum recens natorum, eo modo refelleret, qui accommodatus esset eorum quoque captui, qui artis medicae minus gnari sunt. Qui, etiamsi Gallis praecipue scriptus, ideoque illis potissimum oppositus sit praejudiciis, quae in istis terris maxime obuia sunt; tamen multa etiam continet, quae exteris usui esse possunt, ideoque paullo vberius a nobis diiudicanda sunt.

p. I.

Capite primo, quod *de grauiditate* inscribitur, Cel. Auctor agit de diaeta grauidarum, variisque, quae ad regimen illarum pertinent: de grauiditatis termino, foetusque durante grauiditate versione (*la culbute*): signis sexus foetuum et gemellorum in utero adhuc contentorum, aliisque similibus rebus. Pluribus ostendit, vulgarem methodum, qua certis tantum et usu stabilitis temporibus, venaefectio in grauidis instituitur, valde noxiam esse; cum intempestiuia venaefectio debiliores et cacochymicas magis adhuc debilitet, neglecta autem necessario haud raro grauissima damna producat. Hinc si plethora adest, vel abortus periculum aut morbus inflammatorius imminet, ea semper et quidem in brachio instituatur; in pede autem, si sanguis nimio impetu ad caput fertur. Neque in eo casu vel abortus metus nos a sanguinis missione deterreat, vel vomituritiones, quippe quae non solum in laesa ventriculi concoctione, sed et in apoplexia, aliisque cerebri affectionibus, quae venaefectionem indicant, adesse observuantur. Indicatur quoque sanguinis ex faphaena missio a conuulsionibus ex caussa sanguinea proficitis. Interim nonnunquam haec affectio nullis per omnem grauiditatem remediis curatur, post puerperium autem sponte cessat; quod Auctor Cel.

p. II.

exempli

plo foeminae cuiusdam nobilioris probat. Illa primis
 grauiditatis mensibus semel tantum quois die conuul-
 sionibus corripiebatur, vltimis vero duos quotidie ex-
 periebatur paroxysmos, qui sensim ita prolongabantur,
 vt tandem aegra ex viginti quatuor horis, sex tantum
 a conuulsionibus libera esset. Erat tamen sub paroxysmo
 semper sui conscientia, omnesque actiones corporis in-
 ternaee bene succedebant, exterioribus tantum muscu-
 lis morbose affectis. In initio venaesctiones paruum
 leuamen adferebant, postea vero nullum, quod etiam
 de remediis relaxantibus et antispasmodicis valet.
 Accendentibus tandem sub ipso paroxysmo doloribus
 ad partum, conuulsiones sensim cessabant, foetusque
 viuus nascebatur. Quamquam vero post puerpe-
 rium peractum aegrae sanitas vsu aquarum Plombe-
 rianarum multum confirmabatur, tamen conuulsio-
 nes aliquoties postea redibant, praedisponente scili-
 et cauffa, corpori altius inherente. Vt optimum p. 27.
 in grauidis purgans Cel. Auctor *magnesiam salis ca-*
thartii commendat. Balnea vniuersalia grauidis non p. 67.
 nocere confirmat, pediluuiorum vero usum ob ab-
 ortus periculum plane reiicit. Thoraces quoque
 in grauidis damnat, nisi hoc vestimentorum genus
 ita comparatum sit, vt spinam dorsi tantum susti-
 neat, nec abdomen ipsum comprimat. Putat perfe- p. 80.
 cionis periodum in diuersis foetibus differre, vt v.
 c. foetus, septimo mense in lucem editus, perfectior
 et maturior dici possit alio, octavo mense nato; at-
 que ex hoc argumento probat, eadem ratione partus
 terminum ad undecimum mensem produci posse,
 cum caussae oppositae iis, quae maturitatem foetus
 accelerant, partum quoque serotinum reddere va-
 leant. Concedit quoque breui post primam con-
 ceptionem tempore elapso, superfoetationem fieri
 posse, illudque confirmat exemplo nigritarum, quae
 ex dupli europaei et aethiopis concubitu aethio-
 pem

pem et mulattum gemellos pepererunt. Foetus in vtero circumrotationem, quam iam in aliis scriptis vltimo gestationis tempore fieri Cl. Auctor adsumit (*), pluribus hic argumentis confirmat: abdominis scilicet subsidentia, quae vltimis grauiditatis temporibus obseruatur: doloris in lumbis et ponderis in intestino recto sensu, quo grauidae tunc haud raro afficiuntur: et doloribus spuriis, qui aliquot ante partum septimanis haud raro oriuntur. Caussam vero descensus capitis, seu huius circumrotationis, ponit in copia liquoris amnii minuta et capitis pondere vicissim aucto. Attamen non negat foetum, si magna aquarum copia adest, ita post primam conuersionem se iterum mouere posse, vt abdomen, p. 93. quod subsedit, iterum adscendat. Omnia signa, ex quibus nonnulli sexum foetus, vtero adhuc inclusi, determinare se posse gloriantur, vt fallacia reiicit, idemque de signis gemellorum iudicium fert, cum nec sulcus, abdomen diuidens, quem nonnulli vt tale adsumunt, in omnibus grauidis adsit, vel adesse possit.

p. 112. Secundo, quod *de partu* inscribitur, capite, Auctor Cel. primum de venaelectione sub ipso partu administranda exponit. Haec in brachio instituatur, si haemorrhagia ex inferioribus partibus sub partus initio accidit, vel abdomen, aquis effluxis, dolet, aut os vteri durius, crassius et calidius est. In pede contra fiat, in omni sanguinis ex superioribus partibus profluvio, aut sanguinis ad cerebrum congestione, si p. 117. facies simul turget. Noxia contra est venaelectione in vteri haemorrhagia sub ipso partu, vel sub grauiditatis vltimo tempore accidente, si vehementior illa est, cum sanguinis profluum ea non sistatur, sed foemina magis adhuc debilitetur. Hinc potius ex methodo

(*) Vid. *l'art des Accouchemens* p. 73.

methodo Cl. puzos membranae foetus rumpantur, quo uterus se circa foetus corpus contrahat, et ita haemorrhagia quodammodo sistatur. Quod si vero iam antea ob sanguinis profluvium ex partibus superioribus vena secta est, et tamen illud non cessat, tunc venaesectio non repetatur, vel Puzotiana methodus sequatur, sed versionis statim ope foetus protrahatur. Clysmata omnia irritantia Cel. Auctor p. 123. sub partu reiicit, nec ipsius salis communis leuiorem stimulum concedit: emollientia vero clysmata plurimis laudibus extollit, cum non solum partum faciliorem reddant, sed et puerperae sanitati in uniuersum egregie conducant. Purgantia autem et emetica plane proscribenda sunt, neque vomitoria in lethargo, aut alio soporo morbo concedenda sunt, sed in hoc casu potius venaesectio eaque repetita in pede instituatur. Largum quoque sanguinis ex utero profluvium, foeminam a morte liberat. Cum p. 131. partus difficultas in primis oriatur a resistentia partium molliorum vel duriorum parturientis, analeptica vulgo sic dicta, plerumque nullum usum praestant, sed potius resistentiam partium molliorum, aucto humorum motu, augent. Hinc venaesectio, quae vasa deplet, saepe optimum in hoc casu remedium: hinc debiliores foeminae haud raro facillimum partum experiuntur: matribusque lipothyria affectis, vel mortuis, foetus tamen in lucem prodierunt; quapropter horum remediorum usum Cl. Auctor tantum in summa inanitione et debilitate concedit. Neque balneorum vaporosorum usui p. 134. fauet, cum saepe partus difficilis caufsa v. c. peluis angustia, iis corrigi non possit, sanguine autem caloris vi expanso, partes molliores magis adhuc turgeant. Cum vulgares catheteres foeminei, fissura p. 143. in utroque apicis latere instruti, ob membranae vesicae interioris ingressum in hanc fissuram, eam

vt

vt plurimum in introductione, vel retractione catheteris laedant; alium excogitauit Cl. LEURET, qui cannulam sifit, quae nullam fissuram lateralem habet, cuiusque aperturam superiorem exakte claudit stilus, globulo in apice instructus, interius in cannula latens, non vero exterius, vt in alia antiquiore specie, eminens. Immisso vero cathetere, stilus extrahitur, quo vrina cannulam per superiorem eius aperturam ingrediatur. Si vrethra in vaginam reflexa est, Cl. Auctor hoc cathetere non vtitur, sed illam ope cereoli caui educere iubet. Quodsi vero vrina in ipso partu retinetur, ob vrethrae compressionem a capite foetus ossibus pubis appresso, catheter virilis ita quidem introducendus est, vt manubrium primo superiora respiciat, deinde vero ita circumducatur, vt inferiora speget, eademque fere methodo iterum educendum est. Melius tamen est, si periculum adeat in mora, foetum, compressionis causam, extrahere. Calculus, partum impediens, ope apparatus inferioris siue vaginalis exscindendus p. 148. est. Addit Cl. Auctor his disputationem de periculo, cui puerpera, hernia laborans, exposita est et varias cautiones necessarias addit, tandemque de tumoribus vteri vel vaginae, quae partus difficultioris causa existunt, differit, quos scalpello extirpare iubet, ligatura primum radici ita iniecta, vt ea cruciatim perfossa, extrema filorum, per eam ductorum, exterius inter se colligentur. Si vero tumoris radix non hac ratione comprehendi potest, parturientis situs, in latere opposito regressum tumoris, foetusque descensum egregrie adiuuat. Tumor autem cysticus, partum impediens, incisione facta, euandus est. Addita est obseruatio de ea vesicae hernia, qua illa in vaginam prolabitur, quae a cystico tumore facile distinguitur, cum ea, vel leniter tantum compressa, vrina sponte effluat. Prolapsus vaginae

vaginae vt plurimum oriuntur ex rugis vaginae ossibus pubis proximis, in partu deletis. Tela enim cellulosa, illas replens, nimis extensa, elasticitatem suam amittit, vt humores, in ea stagnantes, tumorem producant, cuius volumen semper in novo partu augetur. Obseruantur vero eiusmodi prolapsus fere semper in superiore vaginae columna, quoniam tumores, posteriori inhaerentes, ob partium subiectarum mollietiam rarius extrorsum eminent. Adstringentes injectiones, quas multi veterum et recentiorum plurimis ornarunt laudibus, minus utiles sunt. Obstruunt enim orificia vasorum exhalantium, quae has partes lubricant, obstructaque telam cellulosam magis callosam reddunt. Nonnunquam intestinorum portio eiusmodi tumorem ingreditur, quod partum, ob dolorem, a compressione intestinorum natum, difficultem reddit. Parturientem in hoc casu Auctor Cl. p. 161. genibus et cubitis incumbere iussit, quod consilium quoque, intestinis hac ratione regressis, optime cessit. Poteſt quoque in parturiente carcinoma vteri adesse, cum illud, vt Auctor Cl. aliquoties vidit, conceptionem foetus et grauiditatis ad iustum terminum durationem non impedit. Ex quatuor gravidis, hoc malo affectis, Cl. Auctor unam, saliuatione in ea excitata, sanauit. Pessaria ita applicentur, vt p. 164. margo posterior coccygem, anterior perinaei marginem, partes laterales tuberositates ischii, media vero pars superficie inferioris anum respiciat, superiore autem orificium vteri altius quidem in vagina sustineatur, quam id, si nullum pessarium adest, in statu naturali collocatur; quam veri situs pessariorum descriptionem ideo hic adduximus, quoniam multi, iisque satis magni nominis, scriptores artis obstetriciae docent, pessaria in apertura pelvis superiore aut supra eam adhuc haerere debere. Cum vero hac ratione penis virilis in coitu orificium vteri non attinet,

gat, ratio non patet, qua conceptio in eiusmodi casu fieri potest, quod tamen saepenumero contingere, experientia docet. In vniuersum autem pessaria oualem figuram habeant, concava sint in superiore superficie, quo orificium vteri sustineant, foramen autem non nimis amplum sit, ne illud ipsum orificium eam ingrediatur, cum haec res polyposarum exscentiarum, incarcerationis (*étranglement*) orificii et catameniorum retentionis caussa esse possit. Fœmina vero, pessarium gerens, frequentioribus iniectionibus sordes abluit, ne eae, circa pessarium collectae, varia incommoda producant. Alia, quae ad prognosin spectant, omittimus. De placentae extractione Auctor Cl. ita disputat, vt primo spontaneam eiusdem expulsionem describat, quam natura, nouis accendentibus doloribus, absoluit, vel absoluere tentat, doceatque, hoc ipso tempore naturae conamina ab obstetricante adiuuanda esse (*). Citius hōc expulsionis tempus accedit in robustiore puerpera, si parua tantum liquoris amnii copia adfuerit, vel iam diu ante partum effluxerit, tardius in debiliore, in primis si multum aquae habuerit, quo in casu intempestiua placentae extractio inuersionem vteri vel funestam haemorrhagiam producere potest. Placenta enim nunquam tuto extrahitur, nisi vterus se antea contraxerit, quod manu, abdomini imposita, facile cognoscitur. Vtero vero contracto, haec quoque extractio caeteris paribus nullum periculum ad fert, faciliusque absoluitur, cum fundo vteri contracto, orificium eius ob antagonismum, qui inter has partes intercedit, minus resistat. In haemorrhagia vero citius educatur, cum contractionem vteri, qua oricia vasorum clauduntur, egressumque sanguinis impedit, qui in vtero coagulatur. Si vero sponte foetum sequitur, neque tamen vterus contrahitur,

ille

(*) Similia fere iam habet Auctor in *Mem. de l' Acad. de Chir.* T. III. p. 216. Comment. nostr. Vol. VIII. p. 208.

ille manu, orificio eius admota leuiter, quo se constringat, irritetur. Separatur facillime placenta ab vtero, si in superficie, quae vterum respicit, paucae eminentiae et depressiones neque profundae adiunt, ipsaque placenta non nimis magna et crassa est. In extractione placentae ea secundum axin peluis, i. e. primo versus os sacrum et deinde versus anteriora, et si laterali parti vteri adhaeret, semper in oppositum latus trahatur, praetereaque attentio habeatur, quo membranae simul extrahantur. Adduntur re-p. 187.
 gulae, in ipsa separatione placentae ab vtero obseruan-dae. Expulsionem placentularum foetuum aborti-vorum, si nulla haemorrhagia adest et orificium dif-ficulter cedit, naturae Noster permittit, aut saltem, iniecta aqua tepida, adiuuat. In haemorrhagia vero, in qua vt plurimum orificium vteri paruam tantum resistentiam opponit, separationem et extractionem, digitis aliquot immissis, absoluere tentat. In reten-p. 193.
 tione vrinæ post partum, catheterem, supra descri-ptum, in vesica relinquit, vsque dum elasticitatem suam iterum recuperauit. Apertura vero stilo clau-datur, ne vesica contracta circa cathererem ab eo perforetur, quod ob paralysin vesicae, qua fibrae eius minus dolent, nonnunquam infacia puerpera fa-ctum est. Hinc alium excogitauit Noster cathete-rem breuiorem et crassiores et ita fabrefactum, vt exterius ligatura firmari possit. Ultimo tandem lo-p. 198.
 co varia emendat Cel. LEVRET in methodo poly-pos ligatura auferendi, cuius descriptionem olim ex-hibuit (*). Inuenit enim, duriores quidem polypos hac ratione optime tolli, sed non aequae moliores, quorum radix, dum circumuolitione instrumenti ansam ligaturae constringere tentamus, motum instrumenti se-quitur. Hinc loco fili argentei cannabino nunc vti-tur, duplicemque loco simplicis ansam format, quae

Dd 2

tamen

(*) Vid. Memoir. de l' Acad. de Chirurg. T. III. p. 518.
 Comment. nostr. Vol. VIII. p. 220.

tamen cum sine figuris difficulter intelligi possint
hic omittimus.

p. 205. Tertio capite *de morbis variis puerperarum* et primo quidem de exanthematibus malignis (*éruptions malignes*) differitur. Describuntur vero quinque species miliarium, quas omnes a se inuicem differre diuersamque medendi methodum exigere, Auctor contendit. Vera tamen differentia tantum posita est in diuersitate partium corporis, vbi morbus potissimum vim suam exercet, qui v. c. cerebrum, vel thoracem vel abdominis viscera potissimum occupat. Respiciendum vero est in curatione huius morbi praecipue ad putridam acrimoniam, primis viis inhaerentem. Hinc primo vel secundo puerperii die emeticum Noster porrigit, venaefectionem vero, licet cerebrum adfectum sit, plane reiicit, et potius primas vias euacuare iubet. Vesicatoria quoque plurimum laudat, monetque, vlcera inde nata diutius aperta feruanda esse. Si pectus vero aut abdomen in morbus occupauit, venaefectione in brachio concedi potest. Si autem exanthemata se ostendunt, statim vesicatoria applicanda sunt et *kermes minerale* exhibe-

p. 224. beatur. Alias quoque febres putridas puerperarum eadem fere methodo tractat et in variolis quoque illarum, emeticis, kermes minerali et vesicatoriis utitur, opiate vero nunquam, quamdiu materia euacuanda adhuc in corpore supereft, adhibet, illorumque

p. 230. usum tantum in statu conualeſcentiae concedit. Addit tandem comparationem purpurae cum varioloso morbo, cauſsamque, cur nonnullis in locis plures puerperae miliari morbo pereant, in linteorum mutatione, iusto citius facta, ponit, quam insigniter no-

p. 235. cere autumat. Furunculi, qui in puerperis proveniunt, ex purgantium neglectu, narcoticorum abuso aut post miliarem eruptionem oriuntur. Hinc purgan-

purgantia, si indicantur, semper adhibeantur. Opia p. 241.
 tis, quae a multis in doloribus post partum com-
 mendantur, minus fauet. Hi enim vel ex corpore
 extraneo, in vtero adhuc contento: vel ex transitu
 liquorum per substantiam vteri et egressu lochio-
 rum impedito, (cuius rei causa fere semper in anteceden-
 tente puerperio posita est, vt dolores in subsequen-
 tibus puerperiis semper augeantur): vel ex vteri in-
 flammatione oriuntur, in quibus omnibus narcotica
 vel inutilia vel noxia sunt. Febris laetæae (*fievre de p. 252.*
lait) nomen reiicit, cum febris appellatio semper sta-
 tum praeter naturalem inuoluat, haec vero naturalis
 sit et idea febris necessario expectandæ, saepe faciat,
 vt medici minus attenti febrium putridarum initium
 negligent. Varia deinde præiudicia vulgaria exa-p. 255.
 minat, v. c. quod foetus dolores colicos experiatur, 259.
 si puerpera iis caret et contra: quod lac, a puerpera
 potatum, lac e mammis pellat, quae res ob lac non di-
 gestum varia incommoda et ipsam metastasis lactis
 producit etc.

Quarto tandem capite *de nutricibus et regimine* p. 263.
infantum recens natorum differit. Multa de delestu
 nutricum monet. Foetui per quatuor priores a nativitate
 dies lac maternum non porrigit, usque dum febris
 nulla in puerpera amplius adsit, pluribusque ostendit,
 quomodo foetus sine lacte humano nutriri possint. In-
 ter animalia, quorum lacte ali potest, capram reli-
 quis præfert. Lactare iubet infantes ad illud usque p. 315.
 tempus, quo sedecim vel viginti dentes habent, i. e.
 ad duodeuigesimum usque mensem, cum lac insi-
 gnem usum in dentitione præstet, qua occasione
 multa quoque de dentitione in vniuersum, ordine,
 quo dentes erumpunt etc. monet. Venaæctionem
 in infantibus non solum in conuulsionibus a denti-
 tione, sed et in aliis morbis, si febris adest, multum

commendat. Corpora dura gingiuis ad dentium eruptionem adiuuandam applicare, noxium est, cum gingiuae exinde callosae fiant. Plura alia, quae ad regimen infantum diaeteticum et ablationem attinent, hic omittimus.

III.

Tal om Nödwändigheten och förmånen af de Chirurgiska Handalagens förkortande i utöfningen, hållt för Kongl. Vetenskaps Akademien, vid Präsidii nedläggande, den 15. Iulii 1767, af OLOF ACREL, Med. Doct. Professor och Regements Fältskär vid Kongl. Adels-Fanan. Stockholm, trycht hos Direct. Salvius, 1767. 8 mai. pl. 5.

i. e.

Sermo, de necessitate et commodis expeditioris breuiorisque encheiresium chirurgicarum exercitii, habitus coram Reg. Academia scientiarum, quum Praesidis munere decederet, ab OLAO ACREL.

Non is est celeberrimus vir, qui recentiorum merita de expediendo chirurgiae exercitio per partes suas perlustrans, propriaque ad id spectantia consilia, crebro in nosocomiis et populosa vrbe cum aegris commercio confirmata, subministrans, veterum maiorumque nostrorum honori aliquid detraetum cupiat. Multa enim, ab istis detecta, suo iure laudes sibi vindicare non negat. Longe quoque facilis reputat, inuenta iamiam facta corrigere, quam omnino noua in lucem producere; nec errores ipsos suo fructu carere, vtpote in quos, nisi maiorum nostrorum

nostrorum vestigiis admoniti, ipsi facile incideremus. Id tamen recentiorum dandum sollertiae et sagacitati Noster arbitratur, quod, prout multarum nouarum encheiresium existiterunt inuentores, ita et maiorum nimiam simplicitatem expoliuerint et quae ambagibus suis peccare viderentur, breuiori, in artis commodum, opera peragere docuerint. Quidnam in his praestitum sit, exemplis, ex vniuerso chirurgiae ambitu suscitatis, abunde demonstrat Noster, in veterum non minus, quam recentiorum monumentis versatissimus. Nostrarum vero partium in primis erit, eorum momenta quaedam indicare, quae Auctori et sub hodierna in chirurgia luce ad eandem ulterius perficieandam facere videntur. Quae omnia Auctor Cl. secundum partium corporis humani seriem persequitur.

In haemorrhagiis largioribus sistendis, reiectis p. 9. stipticis, fidem vnicē Cl. Auctor ligaturis tribuit, ad quas tamen peragendas acum simplicem duplii isti, a Cl. RAVATON inuentae, praefert. Vulgarem fungum fomentarium, quercina virtute plane supparem, vtroque autem spongiam marinam tutiorem existimat; quam, vt tanto firmius arteriae discessae se applicet, vel digitis in angustam moleculam coarctat, vel cera liquata imbuendum curat.

Ad aneurysmata coērcenda vtitur peculiari instrumento, quod constat ex duabus tabulis ligneis, filo ferreo, in spirām contorto, inter se vnitis. Stiptica ista validiora infidi quam maxime usus, quorum ex censu sunt, HELVETII pilulae ex sanguine draconis et alumine, cortici Peruuiano sub anodynæ medicinae connubio, in profluuiis sanguinis internis, longe postponit. Nec probat gummi istud Okiao*)

D d 4

dictum,

*) Quum gluten istud paucis tantummodo notum sit ex OSBECKIO (*Ostrindiska Resa* p. 200) memorare iuvat,

p. 16. dictum, ob inertiam suam repudiandum. Iure quoque culpat farraginem istam remediorum, vitiis externis dicatorum, fasciarumque et instrumentorum copiam.

p. 17. Hirudines ad educendum sanguinem, ex contusione intra cranium stagnantem, si collo applicentur, valde proficuas habet. Nihil vero mali ex terebratione cranii super ipsis futuris vel sinubus frontalibus vel temporum siue occipitis osse metuit, modo loca, per quae vasa ampliora prorepunt, vitentur.

In curanda epiphora a fistula lacrymali Cl. FOUBERT methodus Nostro praecipue arridet. Quoniam vero tubulus iste aureus, ab illo inuentus, ob cylindricam suam figuram sub sternutatione vel alio fortiori capitis motu haud raro excutitur, alio adiumento Noster vtitur. Nempe aperto facculo lacrymali, osseque vnguis acu triquetra perfosso, immittit tubulum aureum conicum, margine recurvato instructum, per cuius duo foramina filum, in ansam ligatum, transfigitur. Post spatium 21 dierum consolidationem fere perfectam vidit.

p. 20. Pro cataracta extrahenda, modo capsula ipsa non opaca evaserit et lens crystallina iustum duritatem habeat, vnico scalpello acquiescit, quo et corneam et ipsam capsulam aperit et cuius cuspipe ipsam lentem eximit. Molliorem vero cataractam pressione eliminat. Ut trichiasi et distichiasi medeat, cutem figura semilunari, vel, nisi hoc sufficiat,

quadran-

uat, istud sapore ingrato instructum ex pelle asinina elici et in India orientali contra phthisin, ore liquatum, vel infuso theae solutum usurpari — Addere autem his potest recensionis huius auctor ex specimine, quod olim in Suecia vidit, illud tabulam referre nigri coloris, characteribus variis Chinensibus notatum et ab hac gente nonnisi carissimo pretio Europeis vendi. v. Comment. nostr. prim. Decad. Suppl. III. p. 475.

quadrangulari forficis ope aufert. Nam emplastrum glutinans, a Cl. DE LA FAVE commendatum, non multum iuuat, quin temporis dispendio nocere affirmat, instrumentum autem, ab isto propositum, vix in usum trahi posse. Curam tamen insuper habere humorum correctionis et deriuationis ab oculis, impense iniungit.

Labium leporinum scalpello exscindere sine aliis p. 23. instrumenti adiumento consueuit; quoniam forfex maiorem vasorum conquaßationem efficit et alterutrius manus liberum usum intercipit. Acus autem transfigendas vel aureas vel auro obductas esse, desiderat.

In hydrope oculi per canalem, facta in tunica p. 24. sclerotica apertura, serum congestum euacuat. Testiculum et tutius et sub minori dolore auferre, quam secundum Cl. LE DRAN methodum fit, Noster docet, praerogatiuam sui artificii a laxiori ligatura praeципue deriuans. Ut ut vero Cl. Auctori ambages in praxi chirurgica displicant, in cancro mammarum extirpando, enucleationem tamen sectioni circulari, quae citius tollere malum videtur, praestare expertus est, quod prius scilicet artificium et consolidacionem accelerat et nouam cancri progeniem auertit. Quum vero vnguenta et emplastra sanationi vulneris remoram struant, linteo carpto fere vnice deligationem perficit.

A pectoris paracentesi nihil omnino auxilii spe p. 32. rat, nisi ipse exundantis liquidi fons obturari queat. Affulgente autem successus spe, festinandum, nec confuento loco, sed intra costam sextam et septimam, computo ab infima facto, in distantia a sterno et vertebbris aequali, ad consilium Cl. SHARP sectionem instituendam censet.

An pneumatocele et pneumatomphalocele vere p. 38. existant, dubia profert, quae ad ipsam tympaniti-

dem extendit. Varias autem istas, ab auctoribus notatas hydroceles species, ad vnicam restringit, semper et fere in sola testiculi capsula lympham colligi obseruauit; prout vbiuis fere simul obstruetum induratumque testiculum vel epididymidem reperit. Saccum cultello potius, quam caustico aperit, quum hoc ipsum sub consueto isto indurationis vel degenerationis cancrosoe connubio noxam insignem pareret.

In scirrhosis tumoribus resoluendis minus efficacem reperit Noster cicutam; H U M B O R G I I autem effatum de scarificationis testiculi vtilitate horrorem incusit.

p. 42. Lectu non minus digna sunt, quae Auctor Cl. de herniarum curatione disputat. Ut praeuertatur prolapsi intestinorum vel omenti vltiori, nihil efficacius inuenit, quam ipsius facci herniosi prope annulum abdominalem per vinculum ablationem, sub qua vero sollicite cauendum, ne funiculus spermaticus ipse vinculo comprehendatur. Exempla quoque nota sunt Nostro praecisi ad annulum testiculi, quo iste tanto firmius clauderetur. Quod ipsum consilium Auctor tamen non sequitur, licet virili vi nec monorchides defraudatos esse experientia doceat.

p. 46. Superuacaneus quoque illi non potuit non videri numerosus iste instrumentorum ad euoluendum calcum ex vesica apparatus. Quod iudicium vel paulo ante sectio a sagacissimo anatomiae et chirurgiae Professore Stockholmensi, M A R T I N , feliciter et in honorem viri cel. haud mediocrem, in difficillimo casu instituta, confirmauit. A C R E L I I autem nostri iudicio, sectio lateralis secundum C H E S E L D E N I I methodum, sed fratri cosmi lithotomo pro aperienda vesica eiusque collo, peracta, omnibus reliquis methodis antecellit. Ad primam sectionem vtitur scalpello, quo ipso, deficientibus aliis instrumen-
tis,

tis, acquiescit. Vua vrsi nihil leuaminis aegris, Auctoris curae demandatis, praestitit.

Fusius recenset Cl. Auctor duas aneurysmatis hi-p. 98. storias, quarum vna ad arteriam subclaviam, altera ad carotidis sinistrum truncum pertinet; vtrumque autem vitium felici ausu dexteritate Auctoris sanatum est. In discissa plane arteria, adeo, vt fines eius direinti sese subtraxerint, ideoque vniōnem respuant, iubet Auctor singulum extremum vulgari futura nodosa seorsim vinciri. Data hac occasione, narrat, se semel vna cum arteria neruum cubitalem vinculo complexum fuisse, quo ipso vero tantum abest, vt conuulsiones fuerint enatae vel dolores, vt potius nihil nisi stuporis sensus in digito annulari et minimo, mutato postea colore situque vnguium horum digitorum, perceptus fuerit. Quam sollicite autem distingui debeat aneurysma ab aliis tumoribus, illi aliquando momentis quibusdam similibus, exemplis comprobatur.

De membrorum amputatione aliter sentit, quam p. 67. Cl. BILGVER, (licet ante cum eodem fere rigore Cl. DE LA PEYRONIE eam damnauerit) quem miratur chirurgiam istam in sphacelo, adeo ad ipsum os penetrante, in aneurysmate, quod totum membrum nutrimento suo defraudat, carie demum, os vndique depascente, differre; nec pauciores ex neglecta nimis diu, quam accelerata intempestiue membra solutione interisse persuadet. Iuncti vero vitae periculi non tam ipsius huius chirurgiae naturam, quam malum quoddam subdole in humoribus nidulans, reum facit. In ipsa vero eius instituendae ratione mauult, praeeunte Cl. LOVIS, ferram tribus digitis transversis supra sectionem circularem applicari, quam carnem in duas lacinias discindere, metuens nempe, ne ex maiori ista plaga dolorum vehementia crescat, et suppuratio, hecticaque febris sese adiungat.

Haec

Haec sufficient de libello dixisse, mole paruo, sed rebus grauissimo, vt, quae Auctori insit in chirurgia exsequenda perspicacia, in locupletanda nouis inuentis sagacitas, nisi vel aliis tot documentis constent, quae et acta academiae scientiarum Stockholmiensis, et opus eximum obseruationum (*) in nosocomio chirurgico, cui Cel. vir praeest, factarum, (ne alia attingamus,) exhibent, innotescat. Futuros vero, qui, haec legentes, vt Cl. Auctor promissa sua de reliquis momentis hic omissis, quae ad chirurgiam commodius exercendam spectant, eadem sollertia expenden- dis, breui expleat, nobiscum aude exoptent, non est, quod dubitemus.

(*) *Chirurgiske Händelser anmärkte vii kongl. Lazarett samlade åch genom utdrag af Dagboken til trycket befordrade på högloftige kongl. Lazarets Directionens befallning af OLOF ACREL. Stockb. 1759. 8.*

IV.

De l'Exploitation des Bois, ou moyens de tirer un parti avantageux des Taillis, demi Futaies et hautes Futaies, et d'en faire une juste estimation: avec la description des arts, qui se pratiquent dans les Forêts: Faisant partie du Traité complet des Bois et des Forêts. Par M. DU HAMEL DU MONCEAU, de l'Academie Roy. des Sciences etc. Ouvrage enrichi de figures en taille-douce. A Paris chez H. L. Guerin et L. F. De la tour. 1764. 4. Part. I. Alph. 2. plagg. 8 sine praefat. Part. II. Alph. I. pl. 12. Tab. aen. 36.

i. e.

De lignis caedendis et methodis, cum emolumento adhibendis variae aetatis arboribus, deque eorum pretio rite aestimando. Accedit descriptio laborum artificum, in syluis propter varios lignorum usus susceptorum, tanquam pars completi tractatus de lignis et syluis. Auctore DU HAMEL DU MONCEAU.

Quamuis huius elegantis, ut folet Cl. Auctor, libri ea sit praestantia, quae multis, praecipue oeconomis utilissima esse possit, nec non de multiplici eius doctrina egregia sistat documenta: multa tamen, quae ad nostrum non spectant scopum, intacta relinquere cogimus, atque harum rerum gnaris ipsum opus vehementer potius commendamus, quam nouo hoc specimine denuo comprobauit Cl. Auctor, oeconomum demum eum esse posse, qui cum experientia, quam plerique sufficere arbitrantur, variarum, physicarum neinde et mathematicarum, scien-

scientiarum pleniorum coniunxerit cognitionem. Dabimus itaque totius operis et instituti breuem delineationem, quantum autem laboris et industriae adhibuerit Cl. DU HAMEL, quibusdam comprobabimus speciminibus. Antea vero simul monemus; idem opus in nostram quoque linguam iam translatum communi vtilitati adaptatum fuisse (*).

Ipse Cl. Auctor in praefatione totius operis delineationem nobis tradit, quam, quo lectoribus eo melius appareat, quid in eo contineatur aut quaeri debeat, breuibus tradere animus est. Constat ex quinque libris, quorum tres priores primam, reliqui secundam partem conficiunt. *Liber primus* generali considerationem physicam lignorum tradit, vbi eorum analysis physica, chemica, partesque componentes recensentur, nec non qualitates lignorum, ad varios usus adhibendorum, tum ratione soli, tum ratione habita situs, aetatis cet. adducuntur, et mandata principis huc pertinentia pertractantur. *Liber secundus* vero speciatim de lignis caedendis agit, (*des Taillis*) quo nomine complectitur arbores, quarum aetas annum quadragesimum non excedit. Consideratur

(*) Prodiit hac inscriptione: *Von Fällung der Wälder, und gehöriger Anwendung des gefällten Holzes, oder wie mit dem Schlagholz, dem halb und ganz ausgewachsenen Oberholz, umzugehen, und alles benannte Holz richtig zu schätzen und anzuschlagen ist.* Nebst einer Beschreibung der Handwerker, die ihre Arbeit in den Wäldern verfertigen, als ein zur vollständigen Abhandlung von dem Forstwesen gehöriger Theil. Von Herrn DU HAMEL DU MONCEAU. Ins Deutsche übersetzt von CARL CHRISTOPH OELHAFFEN VON SCHÖLLENBACH, der Reichsstadt Nürnberg Wald-Amtmann. Herausgegeben von A. W. Winterschmidt, Kupferstecher und Kunsthändler in Nürnberg. Gedruckt bey de Launoy Erben 1766. 1767. in 4. 2 Theile mit Kupfern. Quae translatio accuratum ectypum est.

deratur itaque aetas, qua conuenit ligna caedere, quae vario respectu varia est, potissimum propter usum, quem aliquis quaesuerit, quo facto simul diversa articia eorum, qui ligna caedunt, scindunt, adaptant ipsis, carbones conficiunt, aliaque studiofissime explicantur, iconibusque nitidis illustrantur. *Tertio libro* deinde disquisitio arborum longiorum explicatur (*visite des futaies*). Qui liber propter experientias et experimenta, copiosius instituta, excellit, signa nempe tradit, quibus arborum aptitudo ad varios usus dignoscatur, arborum, vulgo in syluis crescentium, relationem affert, atque de tempore, caedendi easdem, dispicit, densitatis lignorum differentias percurrit, et pericula, qua ratione praecauenda sint, declarat. *Quartus* porro liber caesorum horum lignorum ulteriores administrationes exhibit, ubi de cortice, ramis relinquendis aut mox auferendis, de fissuris lignorum, earumque causis, de incuruatione eiusdemque reductione et de permultis aliis, inde parandis instrumentis, machinis, ipsisque oeconomicis, fuse et accurate differitur. *Quinto* tandem et ultimo libro ad lignorum iam caesorum et destinatis ipsis aptandorum naturam respicitur, simulque eorum morbi nonnulli indicantur.

In primo libro, qui physicam lignorum doctrinam suppeditat, non vegetationis naturam disquirit Noster, sed quod ligna corpora sunt heterogenea, decompositionem eorum considerat, quae vel per artem, vel per naturam fit, quo iis inseruiat, qui pleniori cognitione imbui velint. Fermentationis itaque atque putrefactionis signa et effectus cognitos refert, de partibus componentibus, quae ratione se jungi possint, explicat, simul autem, quatenus ex hac cognitione varia phaenomena, in lignis caesis obseruanda, diiudicari possint, declarat. Salia acida mine-p. 22. ralia in plantis esse probat, quod in succis plantarum non-

nonnullarum inueniatur tartarus vitriolatus, sal marinus et nitrum. Libere tamen fatemur, exquisitam salium historiam et genesin mediorum nobis non multum necessariam videri iis, qui lignorum vsu mechanico indigent. Observatio vero naturae conueniens est, destructionem lignorum esse in ratione inuersa formationis, id est, recentiores partes vetustioribus citius perire. Ratione soli, in quo arbores crescunt, magna est differentia. Assumit Cl. Auctor, quatuor terrarum genera, terras scilicet aquosas et paludosas, macras siccas, aridas, argillaceas, pingues, et deinde fertiles. (*substantieuses et fertiles.*) In paludosis nunquam arbores bonae notae vegetant, vel quae possint operibus durabilioribus adhiberi. Ob nimiam enim succorum aquosorum copiam et glutinosorum defectum leuia sunt ligna, rareris texturae, facile finduntur, insectis facillime laeduntur. Terrae macrae, fabulosae vegetationi arborum fauent, in primis, quod ex his terris inferiores vaporessurgentes, radicibus humestandis inseruientes, incrementum perficiunt, sed et illae teneriorem lignosam substantiam relinquunt. Argillaceae et pingues humidae intumescunt, firmiter in partibus suis cohaerent, difficulter exsiccantur, nec a solis radiis, vix penetrantibus, incalescunt, hae incremento arborum non conueniunt, nisi vel arena, vel aliis terrae parte mixtae sint. Fertiles tandem ob facilem partium solutionem, a pauca quoque aqua praestandam, quod arborum incrementum laetum permittunt, optimae iudicantur. Signa sunt non ex colore, qui varius est, sed facile quod satiscunt, non tamen in puluerem resoluuntur, quia calcis ad instar funduntur quasi. Durities et resistentia lignorum, ex arboribus, in eiusmodi terris crescentibus, desumtorum, confirmant bonitatem, quod ex numero catalogo arborum, eorumque qualitatum, hic subiuncto, magis adhuc

ad hoc corroboratur. Situs etiam arborum non negligendus est, qui vel a climate, vel a loco editiore declivoreque pendet, vel etiam a modo, quo solis radiis exponuntur arbores. Quercus in calidiore loco melior est ac in frigidore. Situs in decliniorē parte montis praeualet planitiei, aeris etiam liberioris perflatū fruitur, requiritur tamen simul, vt et terrae fertilis copia adsit et calori solari aditus decens pateat. Minus arridet Nōstro vulgaris sententia, eam, quae meridiem respicit, partem arboris duriorem esse illa, quae versus septentrionem vertitur, de qua re iam in Physica arborum egit, nec, quae ex circulum ligneorum indole desumitur, demonstrationem valere docet. Pari quoque ratione iudicat de expositione arborum ad certam mundi plagam, singulam nimirum et praestantiam habere, et vitia inducere, multumque respiciendum esse ad ventos, ad transpirationem arborum auctam, interceptam vel suppres-
sam, et ad frigoris vim hiberno tempore. Opera p. 103.
denique varia, ex lignis construenda, exigunt, vt aetas arboris ratio habeatur. Vegetationis contemplatio docet, quod exteriora strata lignorum tenuiora sint interioribus, quippe quae sint annosiora, ita, vt arbor centum annorum habeat interius stratum centum annorum, exterius vero vnius anni. Hinc lignum, ad radicem proprius, plus ponderis habet, ac illud culminis, id quod pluribus, institutis experimentis, egregie comprobatur. Ut tamen sine vicio sit lignum, necesse est, aetas nimia vero vix non semper exteriora vitia secum habet atque eadem contrahit, quam ob caussam nec magnitudo, nec annorum copia sufficit ad perfectionem arboris determinandam, sed contemplatio vegetationis vel laete succendentis vel deficientis. Quae vero pro diuersitate climatis, soli aliarumque iam dictarum conditionum discrepat. Satis interim arbitramur, ex pau-

cis his momentis adductis patere, quanta sit sollicitudine et attentione opus oecono^mo, naturae vestigi^s sequi qui allaborauerit, quantum pretium statuendum Cl. Auctoris laboribus.

Haec ad primū librum pertinent, reliqui feruntur omnes, a nostro magis alieni scopo, in caedendis aëstimandis, vendendisque arboribus inseruiunt huius p. 284. rei studiosis. Notamus tantum, Cl. Auctorem arbores, in sylvis Galliae occurrentes recensere et usus earum in genere indicare. Multa quoque tentamina ab eo facta sunt ad definiendum tempus, quo arbores caedere conueniat. In quo sane opus est tempestatum, earumque vicissitudinum rationem habere. Etsi enim primo vere arbores laetius crescunt, paullo post tamen iterum quiescunt sine sensibili incremento, quippe quum nec arbores hyberno tempore, in uniuersum dormientes quasi, quiescant, quin gemmas augeant, capillares radicum fibrillas forment, immo trunko suo, ut experimentum p. 320. constat, augescant. Nonnullae foliis permanentibus ornantur, immo oculi, arboribus insiti, foliis licet p. 333. cadentibus, adhuc virent. Maximum pondus mensuratur decembri ianuarioque habent, minimum iunio atque iulio, priori itaque tempore plus succi inest arboribus, ea tamen ligni portio, hyeme caesa, semper etiam exsiccata, ponderosior manet ea, quae aestate caesa fuit, quum aestate simul cum succis particulae densiores euaporent. Nullam tamen attentionem meretur luna eiusque phases, nec venti siccitatem quam utramque conditionem multi sancte obseruandam esse claimitant, quod iterum facta tentamina aliter definiunt.

Subsistere cogimur, quum interspersas ubique obseruationes physicas nequeamus hic recensere omnes, elegantes delineationes et rerum propositorum

tarum accuratas demonstrationes, Cl. Auctoris solidioris doctrinae testimonia, denuo consulere eos iubemus, quibus interest, reportare fructus ex cultura arborum.

V.

Dritte Fortsetzung der vorlängigen Nachricht von einigen das Geschlecht der Pflanzen betreffenden Versuchen und Beobachtungen, von JOSEPH GOTTLIEB KOELREUTER, der Arzneywissenschaft Doctor, Hochfürstl. Baden-Durlachischer Rath und Professor der Naturhistorie. Leipzig in der Gleditschischen Handlung 1766. 8. 10 Bogen.

i. e.

Continuatio tertia relationis praeliminaris de variis ad sexum plantarum spectantibus tentaminibus et obseruationibus. Auctore D. JOSEPHO GOTTLIEB KOELREUTER.

Non eas tantum, quas in prioribus libellis proposuerat Cl. Auctor (*), obseruationes hic confirmatas atque plenius illustratas reperimus, sed etiam noua inuenta, reiteratis tentaminibus certa redita, nunc miramur. Ex quibus metamorphosis vnius speciei naturalis in aliam praecipue eminet, cuius quidem possibilitatem nos aequa ac Noster, vix statuendam esse, praesumebamus. Quantum itaque hisce pretium merito sit statuendum, veris rerum aestimatoribus non obscurum eueniet.

Recensentur autem denuo tentamina sexaginta et quinque, instituta cum variis speciebus verbascorum, nicotianarum, dianthoruin, daturarum, ialap-

E e 2 parum,

(*) Vid. Comment. nostr. Vol. XII. P. I. p. 43 sqq.

parum, cheiranthorum, sidarum, cucubitarum, aquilegiarum, nec non aliquae olim susceptorum emendationes et in eas animaduersiones adiiciuntur. In ipsis tentaminibus et cognitam a Cl. Auctore adhibitam solertiam et accuratissimam differentiarum descriptionem, quoad singulas partes plantae, hic quoque notamus, sic, ut post descriptam hybridae cuiuscunque plantae indolem, comparatio cum patre matreque plantae instituta recenseatur, ex verbascis autem vix aliqua foecunda reddita fuit et ea, quae hinc inde apparuerunt, semen rudimenta exsucca erant et tanquam inutilia reiicienda. Sed, quod ex quinque specierum verbasci varia coniuncta.

p. 36. Etione diuersae existebant plantae, quaestio oritur, numne etiam sponte sua per naturam tales hybridae generentur plantae, vel quaenam praecipue caussa talem impedit genesin. Spontaneam commixtionem nulla obseruatio vnquam confirmat; quae enim ab III. LINNAEO obseruata fuit, nondum omni est exceptione maior, quin peculiarem aliquam caussam accessisse maxime probabile est. Infecta namque in verbascis frequentem admodum eius modi variationem producerent, ni sapientissima naturae lex id praecaueret, secundum quam proprium plantae prolificum sperma, sufficiente quantitate decente que qualitate praefens, aliud quodcunque accedens respuit atque a vi foecundante excludit. Sit autem, ut peregrinum sperma pistillo applicetur prius, proprium ex antheris quam euoluatur, quod in plantis, nativo in solo non crescentibus, facile contingere potest, tunc non impossibilis erit hybridae productio.

p. 44. Inter alia tamen ad plantarum hybridarum naturam pertinet, eas diuturniorem vegetationis durationem vegetioremque habere ac simplices, quippe quae deflorescentes non proxime emoriantur, an forsitan ex eo, quod semina non perficientes, optimis succis non exhauriuntur?

Nicotiana rustica, paniculataque, non infoecun-
dae in statu hybrido composito, nouis compositio-
nibus variis factis, tandem *nicotianam rusticam in pa-*
niculatam penitus transmutauit, in gradu nempe ad p. 51.
scendente quarto, ut acutissima quoque peruestiga-
tio vix differentiam aliquam detexerit. Suspicatur
etiam non sine ratione Noster, forte alias plantas
paucioribus gradibus ascendentibus perfectas nativas
iterum reddi posse, quum ad relationem foecundatio-
nis respiciendum sit. Dianthi barbati et chinensis p. 56.
hybridas plantas sponte nasci vidit Cl. Auctor in
hortis, id quod ex staminum imperfectione, huic plan-
tae non inconsueta et foecundatione cum spermate
alieno deriuandum esse iudicat, siquidem etiam hy-
bridae facile iterum in nativas sponte redeant, vti re-
censita, hanc ob caussam instituta, tentamina docent.
Est enim in dianthis componendis Cl. Auctoris mul-
tiplex solertia, ex quibus etiam compositionibus mi-
randa specimina prodiere, quorum singulorum par-
tes omnes ad amussum recensentur. Colores corol- p. 85.
larum non parum mutationis sunt perpessi, plerum-
que in hybridis medius color persistens deprehen-
ditur, in dianthis hortensibus autem nulla regula
valet, forte ob culturae varietatem. Ex quo conii-
cit, plantas aequa ac animalia, per longas annorum
series praeter naturam tractata, aequilibrio destitui,
colorem itaque non solum, sed formam, situm, pro-
portionem, numerumque partium mutari eodem
modo posse, ac idem in genesi hybrida fieri solet,
immo numne idem in hominibus eueniat, ambigit.
Maximam vbertatem foecundorum seminum dedit
Dianthus plumarius Sibiricus, a b. G M E L I N O pri- p. 89.
mum descriptus, cum *Chinenſi* foecundatus, cuius
corollae albissimus color, roseis carneisque nubeculis
pingebatur, nullam cum *diantho glauco*. Praeteri- p. 107.
mus reliqua, de aequilibrio quod in plantarum hy-
brida-

bridarum, tum naturalium, tum artificialium, genesis conspicitur, dicturi. Hoc autem strictius latiusque sumi ac intelligi potest; stricte quidem in plantis, nulla nondum ratione degenerantibus, deinde in generatione plantarum hybridarum ab utraque parte maxime infoecundarum. In prioribus summa, in his nulla fertilitas signum exhibet certum. Huc etiam pertinet planta hybrida ex utraque parte foecunda. Latiori in sensu aequilibrium est in plantis naturalibus, aliquo modo degenerantibus, in simplicibus hybridis, ab una alteraue parte, vel utrisque inaequali proportione foecundis, porro in compositis hybridis plantis, eodem modo aliquam fertilitatem monstrantibus. In uniuersum, aequilibrium tollitur, si unius alteriusue sexus sperma alterum superat. Si itaque matris sperma superat, maior erit cum matre affinitas et contra. Ex quo simul arbitramur, transitum ex hybridis in naturalem plantam p. 110. etiam dilucidari posse. Infoecundum statum globuli spermatici antherarum vacui, flaccidique luculenter demonstrant, signa a parte matris autem nulla certa habentur. Similitudo hybridarum plantarum, sexu inuerso factarum, aequilibrii notam offert, sed cum limitatione sumendam, quod proportio et efficacia plasticae virtutis diuersitatem, vix percipendam secum habeant. Cheiranthum *annuum*, atque *incanum* perennem meram varietatem esse, ex combinatione reciproca probat Cl. Auctor, incanus enim citius flores protrudit, semina perficit et maturauit ita, ut illa foecunda admodum essent. Idem de fida, cucurbitaque valere docuerunt tentamina. Aquilegia vulgaris et Canadensis, reciproca foecundatione exhibuerunt varias easque multas in colore corollae, numero et longitudine corniculorum varietates, retinuerunt autem foecunditatem suam, id quod ab aquilegia vulgari degenerante iamiam prouenire arbitratur.

bitratur. Noster negat tamen, exinde conseruationem atque perpetuo nouam hybridarum plantarum propagationem deduci posse; quod foecunditas eorum est limitata, nec omnibus finibus consequendis sufficit et quod propriis quasi viribus, sicuti a Cl. KOELREUTERO ostensum est, post aliquam seriem generationum in natuam plantam eiusque naturam iterum abit. Reuocat etiam errorem, quo hyoscyamum album fundo floris purpureo et alium, fundo floris viridi varietatem non esse, sed veram speciem, asseruerat, quum nunc ex utriusque coniunctione foecundas obtinuerit plantas.

Sed ad alia veniamus. Quae ab italico scriptore p. 125. proposita fuit, florum recenter detecta proprietas, in irritabilitate conspicua, eam non solum Cl. Author propriis obseruationibus confirmat, sed etiam tum masculinas, tum femininas plantarum partes simili quadam dote instructas esse docet. Quod ad priores attinet, consistit illa in peculiari quadam staminum sepe accurtandi elongandique facultate, in plantarum, quae floribus compositis superbiunt, flosculis detegenda. Vedit eandem in hieracio, cichorio, scolymo, ferratula, carduo, onopordo, cynara, buphthalmo, centaurea, earumdemque variis speciebus. Succedit autem tentamen in recentibus tantum flosculis, id est, qui vel ad sepe aperiendum proni sunt, vel proxime sepe aperuerunt; potest etiam frequenter repeti et pro conditione temperatatis frigidioris calidiorisque motus citius tardiusque consequuntur, immo fortius debiliusque. Dum autem tremuli hi motus peraguntur, pistillum per vaginam antherarum cylindracearum vrgeri conspicimus, mox in unum, mox in alterum latus, titubante flosculo, mox circulari ratione sepe mouente, si nempe unum, vel alterum, vel omnia successiue filamenta staminum mouentur. Fieri hunc motum

ad exprimendum puluerem antherarum, quo papillulis pistilli applicetur, summa cum probabilitate coniicit Noster, quod, licet per vegetationis caussas sponte fieri videatur, hac tamen irritabili natura, ab insectis aduolantibus quoque praestanda, multum iuvari adserit. Mirum est, in aliis plantis hanc conditionem difficilius detegi, nec nisi in opuntia, berberi et cisto heliantheno, obseruari. In omnibus autem communis lex est, ut stamina sese ad latus impressioni factae oppositum vertant, hanc tamen scenam post applicatum motum, interiecto breui tempusculo, demum suscipiant. Similem quoque irritabilitatem stigmata ostendunt hiantia, namque illa in martynia, bignoniaque ab applicato puluere antherarum, paullo post subito stringuntur, ita quidem, ut, si sufficiens ad foecundationem puluis applicatus fuerit, omnis noua irritatio irrita postmodum fiat. In martynia hoc phaenomenon et nos iam olim saepe obseruauimus, rationem vero et caussam phaenomeni, aeque ac Cl. Auctor, nos ignorare fatemur.

Quum etiam de structura globulorum, qui puluerem antherarum prolificum conficiunt, nonnulli dubitauerint, et alibi (*) declaratam eorum conformatiōnē admittere noluerint, multis exemplis, iisque exquisitis, exteriorem, duriorem nempe et elasticam eorum membranam, interiorem deinde atque tenuiorem, nec non contextum cellulosum, granulatam spermaticam rudiorem materiem continentem, confirmat; quae itaque de Cl. Auctoris excellenti doctrina et assidua obseruandi sollicitudine testantur. Describit etiam simul, quae denuo in *hibisco manihot*, sereno atque calido mensis iulii die, ipso generationis in actu, perspecta fuerunt, tum in pistillis, tum in antheris, momenta.

Tandem

(*) Vid. Comment. nostr. Vol. X. P. III. p. 470.

Tandem de cera differit, quam crassiorem esse p. 155.
 materiae spermatica partem arbitratur, a calore so-
 lis non resolutam, cum ea, tenuior et calore fluida
 reddita, materies verum sperma constituat. Artem
 itaque perficere incepit, nec ad finem perductum
 naturae opus.

VI.

Historia anatomico-medica, sistens numerosissi-
 ma cadauerum humanorum extispicia, qui-
 bus in apricum venit genuina morborum se-
 des; horumque referantur caussae, vel pa-
 tent effectus. Opus quadripartitum, cuius
 liber primus recenset laesiones internas abdo-
 minis. Secundus exhibit variam stragem
 pectoris. Tertius prodit diuersam labem
 cerebri. Quartus vero vitia externa colligit.
 Auctore JOSEPHO LIEUTAUD, académiae
 regiae scientiarum Parisiensis et societatis re-
 giae Londinensis, cubiculario serenissimi Del-
 phini, nec non stirpis regiae medico. Recen-
 suit et suas obseruationes numero plures ad-
 iecit, vberimumque indicem nosologico or-
 dine concinnauit ANTONIUS PORTAL,
 Doct. Med. et societatis regiae scientiarum
 Monspeliensis, nec non serenissimi Delphini
 Professor anatomes. Tomus primus, Parisis,
 apud Vincent, 1767. 4. Alph. 2. pl. 22. cum
 praefat. et conspectu capitum pl. 6. Tomus
 secundus ibid. eod. anno. alph. 3. pl. 7. cum
 conspectu capitum pl. 2.

Quicunque necessitatem anatomes practicae bene
 perspicit, non potest non eorum virorum la-
 bores

bores magni facere, qui sectiones cadaverum, morbis
 defunctorum, in libris variis disperforum; colligere et
 vna quasi tabula oculis nostris subiicere annisi sunt.
 Inter hos summam laudem BONETI, MANGETI,
 MORGAGNI que opera merentur. Cum autem
 partim obseruationibus, a prioribus duobus congestis,
 eadem fides haberi non possit, quia multi obseruatores
 vel anatomes non satis gnari, vel famae magis, quam
 veritatis studiosi inuenti sunt, partim diffusum et lu-
 xurians scribendi genus aut adiunctae hypotheses
 lectorem saepius offendant, partim multae delite-
 scant in libris obseruationes, quae ideo in paucissi-
 morum usum cedant: commotus est istis rationibus
 Cl. LIEUTAUD, ut simile opus aggrederetur; vt
 nimirum obseruationes aliorum colligeret, ordine
 apto disponeret, scriptio[n]is genus, quantum quidem
 absque rerum ipsarum detimento fieri poterat, con-
 cimum et aequale redderet, ab omni autem hypo-
 thesium studio plane abstineret. Inde praesens li-
 ber enatus est, cui plures intersperfae sunt obserua-
 tiones ipsius Cl. Auctoris aliorumque, quae antea
 publici iuris non erant. Ordo electus est anatomi-
 cus, et optimo quidem consilio, quia morbi saepius
 alia atque alia nanciscuntur nomina et caussae mor-
 borum cognominum saepius multum inter se discre-
 pant. Totum opus tripartitum est, ita quidem, vt
 prior tomus vniuersum librum primum et primam
 sectionem secundi, posterior autem reliquam par-
 tem secundi, tertiumque et quartum librum conti-
 neant. Nos paucis inscriptiones singulorum libro-
 rum sectionumque recensemus. Liber primus,
 laesiones internas abdominis sistens, in sedecim se-
 ctionibus de peritonaeo, ventriculo, omento, intesti-
 nis, mesenterio, hepate, liene, pancreate, renibus et
 capsulis, vreteribus, vesica, vtero, tubis et ouariis,
 laesitionibus generalibus abdominis, tumoribus et v-

rii generis colluuie in eodem exponit. Liber secundus laesiones internas pectoris considerat et in sectionibus octo de pulmonibus, corde, pericardio, pleura, mediastino, thymo, ductu thoracico et aorta, diaphragmate, tumoribus et colluuie pectoris agit. In libro tertio de laesionibus internis capitis, in octo itidem sectionibus de meningibus, cerebro, tumoribus internis, colluuie variae indolis, extraneisque corporibus in eodem differit. Liber quartus demum laesiones externas complectitur et quinque sectiones de capite externo, ceruice, thorace et abdome extero, dorso et artubus sistit.

Exhibita totius instituti ratione, non ingratum fore Lectoribus speramus, si quaedam ex ipsis Cl. Auctoris obseruatis excerptamus. In cadauere viri p. 7. voracis, mediae aetatis, qui post asthma plurium annorum et semel iterumque reuersam leucophlegmatiam, cum tumore ac dolore potissimum regionis epigastricae obierat, viscera omnia abdominis sana inueniebantur, praeter solum ventriculum, flatibus mire extensem: mirandum autem erat, nullum in utroque ventriculi ostio obicem occurrere, qui eorum exitum vetuisset, siquidem et digestio semper satis bene facta erat. In alio viro senio propiore, p. 9. qui per totum morbi decursum, quamquam dolore obscuro et grauatio stomachi affligebatur, vomere non potuerat, ventriculus itidem in immensum dissentus apparebat, ac dudum iam atonia laborasse videbatur: intestinis adeo contractis, ut vix molem ventriculi aequarent: quae obseruatio sententiae eorum pondus addit, qui vomitus caussam in sola via contractili ventriculi ponunt. Post vomitum pertinet p. 35. nacissimum ingestorum, aequa ac materiae nigrae foetidaeque cum aluo adstricta repertus est in cadauere vetulae, lobus minor hepatis putridus et excavatus, in quo haerens putrilago ventriculum corosferat,

- p. 75. roferat, viamque sibi fecerat. Circa finem intestini ilei in pueri cadauere vermes in glomerem, pugni molem aequantein et intestinum prorsus obturant.
- p. 135. tem, conuoluti deprehensi sunt. In cadauere hypochondriaci, qui, haemorrhoidibus suppressis, febre anomala lenta extintus fuerat, hepar maximum et scirrhosum et vena portae adeo extensa, vt intestini
- p. 169. faciem prae se ferret, inuenta sunt. In cadauere viri, post superatum icterum de dolore hepatis ac virium resolutione conquesti, praeter purulentam in abdome colluuiem absuntumque omentum, hepar magnum, in parte inferiore ingentem abscessum, pure folido scatentem, continens, conspectum est, proxi-
- p. 170. maque coli pars putredine tacta. Aliud mulierculae pro asthmatica habitae, cadauer, hepar stupendae molis exhibuit, in quo abscessus adeo ingens erat, vt praeter maximam puris foetidissimi copiam innumeras hydatides, quarum maiores tres quatuorue
- p. 190. pollices latae erant, contineret. In cadauere feminae, chronico ictero extinctae, praeter hepar liuidum, durum et exsiccatum, aliaque abdominis viscera, vario modo affecta, color flauus ad ossa caete-
- p. 211. rasque partes penetrasse, conspectus est. In cadaueuere pueri, febre acuta, variis symptomatibus ac praesertim hypochondrii dextri tumore et subiectitio faciei oculorumque colore stipata, enecti, ductus choledochus a lumbrico proceriori, ex cystide fellea huc delato, obturatus obseruatus est; ventriculus
- p. 248. et intestina vermis quoque scatebant. Aequem miratu digna est historia sectionis cadaueris feminae, febre maligna epidemica extinctae, cuius ductus pancreaticus itidem lumbrico, huc adacto, plane erat ob-
- p. 291. turatus. Ren sinister vreterque huic appensus in sexagenarii, numquam de viarum vrinariarum vitiis conquesti, cadauere, dilatati atque arenulis referti, conspe-
- p. 296. cti sunt. Vesica contracta et callosa, vel ad quamvis dilata-

dilatationem inepta, mixtionis inuoluntariae plurimi annorum cauſa exſtitit, quae alias ſaepe vrinae excretionem impediuiſſe obſeruatur. Praeter tres p. 316. obſeruationes de vi lithontriptica remedii anglicani, ex actis Parisiensibus deſumtas, vnam etiam ex suis Cl. Auctor addit, vbi in viro, febre lenta iam afflito, tota calculi vesicae ſuperficies rosa, ſimul autem renes et vesica exulcerata inuenta ſunt. Hydropis p. 357. ouarii, quod ad minimum quinquaginta libras aquae folidae continebat et, hac emissa, duodecim libras pondere aequabat, et cum tuba fallopiana a natuua forma plane degenera coaluerat, ſtupenda historia recenſetur. Aeque miranda eſt historia tuinoris ſcirrhoſi p. 391. in iuuene, omnibus vertebris lumbaribus inſidentis et a vasis maioribus traieci, qui aegrum post aliquot a ſui initio menses confecit. In tympanite chroni- p. 432. ca intestina, nonnihil quidem flatulenta, inculpata tamen apparuere, maximo flatuum prouentu a ſolo peritonaeo cohibito. Miratu quoque dignum eſt, p. 534. in iuuenis leucophlegmatici, ſubita morte extincti, cadauere, thoracem ſinistrum, pure repletum, deprehendum eſſe, nullis ferme pulmonis vestigiis relictis: quum tamen nullum umquam morbi pectoris indicium fuerit. Cachectici, hydrope pectoris extinti, T. II. qui ſolum in latus ſinistrum decumbere potuerat, p. 125. cadauer apertum colluuiem ferofam non in hoc latere, ſed in dextro conſpiciendam praebuit. In ca- p. 158. dauere feminae, quae antea febre tertiana, acerbifimo capitis dolore ſtipata, affecta fuerat, hac autem numerosis venaefectionibus fugata, ſubito syncope occubuerat, praeter alia venae cerebri et ipsius plexus choroidei inanes et flatulentae repartae ſunt. Idem post peripneumoniam, viginti quinque venae- p. 163. fectionibus debellatam, in cadauere viri, in quo et reliquae corporis partes exſangues fere apparuerunt, nec non in virginis chloroticae, plus quam centum venae.

- p. 188. venaesctiones passae, cadauere obseruatum est. In cadauere viri, senio iam propioris, recurrente apoplexia interemti, cerebrum nihil exhibuit morbos, nisi glandulam pinealem nucis iuglandis magnitudine, substantiae densissimae et carcinomatis naturam
- p. 292. redolentem. Cadauer hominis, qui cephalaea atrocissima et tussi cum sputo nonnumquam purulento affectus fuerat, pulmones sanos et sinus frontales et occipitales (forte sphaenoidei) pure repletos exhibuit, quum antea quiuis morbum pulmonum ad-
- p. 294. esse suspicaretur. In suspensis musculi mastoidei saepe disiecti inuenti sunt, ita quidem, ut extrema bina ultra pollicem distarent, sola vagina membra-
- p. 297. nacea, eos inuestiente, integra relicta. Polyporum laryngis, obstructa aeris via, subitam mortem indu-
- p. 303. centum, duo exempla memorabilia recensentur. In cadauere feminae per decennium haerens thyreoidea glandula, hydatidibus referta, trachea autem carie exesa et farcomate, quasi pendulo ex ramentis membranaceis dilaceratarum hydatidum obsita, inuentae
- p. 328. sunt. In cadauere hydropici, ultimis vitae diebus de dolore summo in latere abdominis conquesti, reperta est cavitas amplissima inter binos latiores musculos, quae ultra duas libras fanguinis floridi et
- p. 329. congrumati continebat. In cadauere iuuenis, qui in laboribus suis abdomine crepidini tabulae incubuerat, musculi bini recti abdominis discissi inuenti
- p. 346. sunt, superstite duntaxat membrana. Cadauere vetulæ, diurno rheumatismo afflictæ, aperto, musculi artuum inferiorum aridi, exsiccati et quasi tendinei, ossa nonnulla inter se coalita, alia e fede depulsa, comparuerunt.
- p. 365. Obseruationibus his subiungitur demum index totius operis, nosologico ordine digestus, quem operosum laborem Cl. PORTAL acceptum referimus. Qui quidem index, quo utilior esset, ita confectus est,

est, vt altera plagulae columnae symptomata morbi, quantum quidem de ipso constat, breuibus recensentur, opposita autem extispicia doceat; nominato simul eo libri loco, in quo conscripta obseruatio legitur. Ordo ipse prorsus fere idem est, quem in synopsi praxeos medicae Cl. LIEUTAUD sibi praescripserrat: ita, vt in parte prima, morbos generales internos respiciente, febres, morbi interni capitis, pectoris et abdominis; in secunda, morbos externos complexa, generales et incertae sedis, externi capitis, trunci et artuum, ac denique cutis affectus; in tertia morbi sequioris sexus et infantum pertractentur.

VII.

Tractatus medico-chirurgico-chemicus de cancro et spina ventosa curabilibus per medicamentum hactenus secretum, nunc communicatum, editus a FRANCISCO XAVERIO DE MARE, Philos. ac Medic. D. Vienn. 1767. typis Io. Th. nob. de Trattner 8. 6. pl. c. praefat.

Quo edidit Cl. Auctor hunc libellum consilio, eodem idem a nobis quoque indicatur. Molestiis et cruciatibus enim aegrorum, his morbis laborantium, profecto summis permotus et exemplo Ill. STOERCKII excitatus, methodum quandam his morbis medendi, quam saepe efficacem inuenit, hic cum eruditis communicat. Absoluitur tota haec tractatio, praemissa scirrhi, ex quo carcinoma tandem oritur, consideratione, duobus capitibus, quorum unum descriptionem carcinomatis habet, alterum spinae ventosae in se continet rationem. Quibus omnino expensis, remedium aliquod eiusque praeparatio una cum quibusdam obseruationibus chemicis,

chemicis, et applicatio proponitur, tandemque nonnullis horum morborum historiis illustratur.

Scirrhi itaque sede, quae in glandulis est, demonstrata et caussis nonnullis externis aequa ac internis, v. c. colostrum in mammis, suo sero orbatum et stagnans, nec non menstruorum cessatio, erutis, venit Cl. Auctor ad primum de cancro caput.

- p. 17. Quamdiu enim praeter tumorem, qui interdum ex nimia arteriarum distensione cancri animalis refert figuram et duritatem; nullus aliis adest sensus, scirrhus est; excitato vero dolore lacinante, pruriente, pungente, calente, etiamsi non continuo, cancer occultus seu verus vel iam appareat, vel mox apparabit, quoniam ille dolor indubiam prodit differentiam scirrhi et carcinomatis. Prouenit hic dolor potissimum ab inflammatione, quam, si leuis adhuc fuerit, nec diu durauerit, Cl. Auctor, prudenter applicato emplastro saturnino seu aceto lithargyrii, magna aquae copia diluto, saepe coercuit. Quamdiu autem dolor abest, tam diu absit quoque ex sententia Cl. Auctoris omnis externa irritatio, vt affluxus, et optimorum humorum, ad hunc locum impediatur.
- p. 22. Arbitratur enim Noster cum Ill. SWIETENIO, cancrosi ichoris corrosiuam et putridam indolem non semper a sanguinis seu humorum inviuersum cacochymia proficiisci, sed cancrosam massam stagnantem affluentibus, etiamsi optimi sint, humores in similem malignitatem mutare. Interim largitur lubenter, cacochymiam humorum saepe esse carcinomatis caussam, tumque suadet eius internam correctionem, quo externum remedium, ab eo propositum, eo maiori cum fructu applicari queat. Id quod, postquam de spina ventosa nonnulla addidimus, trademus.
- p. 40. Haec ab acri, in ipsa medulla ossium nato, humore orta, potissimum occupat apophyses, rarius medium

diam ossium partem, cum ibi substantia tenerrima sit et vesiculae medullosoae haereant, quibus sanie corruptis, lamellae osseae, ab utraque parte positae, citius attingi possint. Hinc sentiunt hi aegroti similes dolores ut in carcinomate, quos mirae ossium saepe degenerationes, nec non febres, ab irritatione acris materiae pendentes, tandemque mors subsequuntur. Ne igitur funesta haec symptomata accidant, praeter remedium a Nostro commendatum externum, interna aegro propincentur medicamenta necessae est, ut simul ad varias caussas, v. c. cacochymias et varias, lueim venereum, externam contusionem, semiluxationem etc. respiciatur; quorum medicamentorum plurima, a Nostro laudata, ex BOERHAAVIO et SWIETENIO repetita sunt. His praemissis, describit Cl. Auctor suum, quod externe est applicandum, remedium, cuius methodum parandi, iisdem verbis reddimus:

„Recipe ramentorum ferri lotorum et supra p. 68. ignem in vase aperto fideiectorum et minutissime con-
tusorum, salis armoniaci, in puluerem redacti, anaticas
partes, vncias quatuor, mixta dentur in retortam ter-
ream, optime in fundo et circumferentia lege artis
munitam, imponatur haec capellae, admoueatur vas
vitreum recipiens, quod bene lutetur. Detur ignis
in gradu digestionis et, dum retorta calefieri incipit,
augeatur successiue ad sublimationis, finitaque subli-
matione, ad calcinationis gradum. Hoc facto,
successuae refrigerationi comittatur retorta et
ex refrigerata fractaque accipiatur calcinatum in
fundo haerens, caput mortuum teratur et subigatur
minutissime in mortario lapideo, dein subactum im-
ponatur in vas vitreum et affundantur spiritus vini
rectificatissimi, empyreumaticum odorem non redo-
lentis, librae duae, agitentur saepius primis octo horis,
post viginti quatuor horas agitatis, denuo instilletur

tribus quatuorue interstitiis obseruatis, acerrimi, vt vulgo vocatur, olei vitrioli nigri vncia vna, ad quamvis instillationem semper tamen mixta agitando, dein in quiete permittantur per viginti quatuor horas; his elapsis, decantetur tintura, residuo vero in fundo assundantur prioris spiritus vini librae duae, agitantur iterum pluries, dein extractio de nouo relinquantur per viginti quatuor horas, his transactis, instilletur iterum, vt prius, olei vitrioli supra dicti (et ita praeparati, sicuti H E L L O T praescripsit) vncia vna, effervescentia finita vero, infundantur spiritus tartari simplicis vnciae quatuor, agitantur et, finita agitatione, aliquoties repetita, relinquuntur in vase per viginti quatuor horas: his elapsis, secunda haec solutio misceatur priori decantatae et optime simul agitantur, tunc parata est ad usum panacea nostra anticancrofa. „

p. 70.

Additis praeterea nonnullis observationibus chemicis, indeolem huius medicamenti spectantibus, ad methodum illud applicandi describendam accedit Cl. Auctor. In cancro nimirum aperto labia tumida fungosa ope penicilli vndique illiniantur, caue tamen, ne tangas vulneris profunditatem, ob insignes, quos tum sentiunt aegri dolores: dein, siccata inunctione, linteolum sine vlla pressione applicetur atque ita ter de die continuetur; caeterum vlcus semper purum reddatur et ab iis, quae separata sunt, liberetur. Idem fieri debet in spina ventosa, vbi cutis aperta apparuit; tumores vero, fanie imminuta, saepe ibi nascentes, emplastro, ex oleo radicis consolidae maioris, herbae et florum hypericonis, florum verbasci, cera flava, seu ceruino et cerussa Veneta, aceto lithargyrifato et camphora, in oleo soluta, confecto, obtegendi et emolliendi sunt. Vtique vlcere ita illinito, crux conspicietur, quae, continua inunctione, sponte decidet, qua secessa, reiterata inunctione noua apparebit crux et sic vlcus sensim

sim purificabitur. Interdum quoque, crusta soluta, ac praecipua quidem in spina ventosa, sanguis, ex vulnere emanans, nihil mali minatur. Continuata enim inunctione, nouae iterum crustae formantur, e quibus demum sanguis, pure mixtus, effluit et certa sanationis spes, remediis internis non neglectis, affulget. Quod si vero nimius ob putredinem adesset foetor nulla linteamina esse applicanda, monet Noster, ut eo melius exhalationibus putridis via patet, ac tum puritatis causa, commendat machinam quandam cauam, ex balenae osse seu simili factam, ferti ad instar locum cingens, quae pro ratione vulneris, absque vlla tamen pressione, vario modo potest adhiberi.

Quod tandem ad obseruationes practicas a Cl. p. 88. Auctore, huic tractationi annexas, attinet, in femina, diu cancrum apertum dextrae mammae habente, post varia, ab aliis adhibita, remedia, Noster hac panacea ita, vti tradidit, usus est, quae, quamquam omnia bene succedebant, illam tamen aegram ob nimiam virium prostrationem, morbi diuturnitate inductam, non seruare potuit, dum, maxima sanitatis recuperandae spe affulgente, tabe confecta periit.

In alia vero, scirrho nucis auellanae magnitudine p. 89. per multos annos maxillam inferiorem partis sinistrae occupante, felicius hanc suam adhibuit panaceam. Crusta enim ita formata, vti supra monuimus, semper madebat ille locus, eaque sponte separata, omnis tumor euanuit, nec quidquam, nisi aliqua huius partis rubedo, remansit.

Puella porro spina ventosa in osse calcaneo tibiaque p. 90. quatuorue digitis a tarso, pedis sinistri et in cubito dextri brachii horrendum in modum vexata, eadem mendendi methodo, datis internis simul remediis, a malo hoc liberata est, nec non iuuenis, per tres ferme annos spina ventosa brachii sinistri laborans, remedium internis in auxilium vocatis, integre sanatus est.

VIII.

Histoire de l'Académie royale des sciences.

Année MDCCLXII. Avec les memoires de mathématique et de physique, pour la même année, tirés de registres de cette Académie. A Paris de l'imprimerie royale 1764. 4.
3 Alph. 14 pl. tab. aen. 34.

i. e.

Historia et Commentarii regiae Academiae scientiarum Parisinae, ad annum MDCCLXII.

Ex historia académiae sequentes potissimum articuli hic commemorandi sunt.

p. 35. In obseruationibus physicis vniuersalibus referuntur: 1) non procul ab oppido *Compiegne*, eos, qui nouam parabant viam, magnam ostreorum petrificatorum copiam ibidem inuenisse, in strata ita collectam, ut mare hunc locum olim obteguisse, satis apparuerit: 2) die XI ian. 1762 in arce *de la Moraine*, inter tonitrua et fulgura, leuem terrae motum perceptum esse: 3) Argentorati fabrum cultellarium, dum molam, qua ad acuendos cultros hi artifices vtuntur, circumageret, a molendinario lapide, cum magno fragore dissidente, vulneratum esse. Cl. MORAND, qui tunc Argentorati commorabatur, in caussas huius infortunii inquisiuit, hicque modum docet, molas istas ita fabricandi, ut simile quid non accidere possit.

p. 53. *Obseruationes anatomicae* continent historiam hominis, qui post insignem pectoris oppressionem et catarrhum chronicum, tussi tandem reiecit ramosum aliquod corpus, intus cauum, figuram bronchiorum perfecte exprimens. Nulla haemoptoë corporis huius excretionem sequebatur, et, licet purulenta

rulenta materia per aliquot dies screatu reiiceretur, aeger tamen integrum recuperauit sanitatem. In simili corpore, quod, a foemina quadam tussi eiectum, Cl. MARCORELLE, qui huius obseruationis Auctor est, examinavit, in finibus ramorum vesiculos aëre turgidas deprehendit. Probabile itaque esse putat, corpora illa fuisse internam asperae arteriae tunica, ab externa separata, creditque, illam iterum restitu posse.

In obseruationibus botanicis legimus, Cl. MONTE T p. 73. notasse, *fungum maximum pedis equini facie*, qui in quercu crescit, etiam copiose in truncis fagorum recisorum inueniri, eademque virtute styptica polle-re, quae in quercino deprehenditur. Idem describit morbum, qui in dioecesi Alesiensi (*Alais*) moros albas, quae copiose ibi coluntur, deuastauit. Exfudabat sub eius initio; ex trunco arboris aqua, quae corticem nigro colore tingebat, vnde paulo post arbor exaruit.

Elogia tria huic historiae annexa sunt, Cl. scili p. 197. cet NICOL. LUDOV. DE LA CAILLE, STEPH. P. 213. NI HALESI ET IACOBI BRADLEYI. Et STE. P. 231. PHANUS HALESIUS quidem, vir solidiore erudi-tione non minus, quam modestia sua insignis, cuius scripta physico-mathematica, omnes eruditos plurimi facere, neminem fugit, natus est in comitatu Cantienensi Angliae a. 1677 die 28 sept. ex stirpe satis nobili et antiqua. Destinatus erat a parentibus sacro ordini, ad quem, vt recte praepararetur, vnde uicesimo anno Cantabrigiam mittebatur, vbi excellens eius ingenium, summaque eius ad physicas et mathematicas disciplinas propensio, cito eminebat. Quo tempore etiam chemiam, botanicam et anatomicam non negligebat, vt potius inuentis quibusdam anatomicis egregias animi dotes luculenter proderet. Admotus deinde fuerat variis muneribus sa-

cris, donec in vicinia vrbis regiae locatus, a. 1718 socius regiae societatis eligeretur. Primum, quod offerebat societati huic industriae et doctrinae specimen, occupabatur in declarando motu succi plantarum, ex quo egregium illud *statices vegetabilis* et *analyseos aëris* opus, 1727 editum, pronatum est. Anno 1733 *haemastaticam* et experimenta circa calculum publicauit, hisque ingenii documentis tantam inter suos quoque famam acquisiuit, vt ab academia Oxoniensi, sine eius precibus et, licet nunquam in hac academia studiis incubuisse, Doctoris theologiae honore ornaretur. A. 1734 libello, de noxiis effettibus spiritus vini in sanguinem, ciues suos ab abuso liquorum spirituorum reuocare tentauit. A. 1739 aliud scriptum edebat, in quo docuit, quomodo aqua marina ad potum apta redi et, quae ad viatum pertinent, in nauibus conseruari possint, atque ob id praemio Copleyano ornabatur. Remedium deinde istud Stephensianum celeberrimum contra calculum examinauit, tandemque post tres annos egregium illud ventilatoris inuentum publicauit, a quo tempore, praeter varios commentarios, Transactionibus philosophicis insertos, nil edidit. An. 1753 socius academiae Parissnae factus, senio tandem confectus, d. 4 ianuarii 1761 *Riddingtoni*, quo verbi diuini minister erat, licet eleemosynarius a Principe vidua Walesiae constitutus esset, obiit.

Commentarii in hoc volumine sequentes habentur:

p. I. 1) *Descriptio noui emboli, quo frictiones insigniter minuuntur ac coria tanto magis durabiliora redduntur.* Auctore Cl. PARCIEUX.

p. IO. 2) *Observationes de quantitate argenti, quod post disquisitionem docimasticam cineritia, seu sic didiae capellae*

pellae continent. Auctore Cl. TILLETT (*). Plura nimirum cineritia, lithargyrio impregnata, in puluerem tenuissimum comminuit, huiusque pulueris vncias duas cum sex vnciis tartari albi et tribus viii ciis nitri depurati commiscuit, posthac crucibulo commisit, igneque excitato et detonatione peracta massam fudit. Crucibulum, ab igne remotum, tres pene drachmas plumbi reducti dedit, quod, cineritio impositum et sub fornice more consueto disquisitum, plus argenti praebuit, quam plumbum, nondum in usum docimasticum adhibitum, praebere solet. Aliud experimentum, rigorosius a Nostro institutum, rem magis illustrat: sumvit nimirum duo cineritia, quae, nondum usurpata, drachmas quatuor pondere aequarunt, posthac autem, lithargyrio impregnata, vnciae pondus habuerunt. Haec, in puluerem comminuta, cum tribus vnciis tartari albi et vncia una cum dimidia nitri depurati commiscuit et ad methodum supra descriptam disquisivit, sicque ex plumbo duo grana cum dimidio argenti obtinuit, cum tamē plumbum, nondum in usum docimasticum impensum, non nisi quartam partem grani argentei aut infra praeberet. Ex his colligit Cl. Auctor, vulgarem argenti docimasiam non adeo accuratam esse, cum argentum, cum lithargyrio in cineritium abruptum, non computarent docimastae; quapropter ad accurate definiendum pondus argenti plumbum ex lithargyrio reducere, denuoque sub fornice docimastico in cineritio explorare, sicque demum pondus argenti, ita depurati, determinare suadet. Cum praeterea ex his experimentis pateat, argenti partem cum lithargyrio in cineritium abripi, idque eō magis, quo maius pondus plumbi adhibitum fuerit,

Ff 4

plumbi

(*) Lecta d. 6. Febr. 1762.

plumbi quantitatem non maiorem, ac necessaria sit, adhibendam esse, monet.

p. 17. 3) *Disquisitio, de quam plurimis classibus eorum omnium graduum aequationum, quae algebraice solui possunt, instituta a Cl. BEZOUT.*

p. 53. 4) *Commentatio de ochra.* Autore Cl. GUETTARD. Naturam ochrae, variis artibus mechanicis inferuentis, disquirens Noster, primo eius locum natalem describit, triumque eapropter locorum, vbi effoditur, meminit. Primum horum ipse examinavit, duo alia, ab aliis descripta, communicat. Locus a Nostro disquisitus, in parochia Bitry situs est. Fodina haec ad summum pedes triginta profunda et septem vel octo ampla est: primum stratum arena, humo mixta (*sable terreux*), alterum argilla ex albo cinerea seu ex coerulecente nigra, tertium argilla ex rubro violacea, quartum species lapidis arenacei flavi, seu ex fusco flauescentis, ultimum ochra format, sub qua arena deprehenditur. Ochra, quam primum effossa, admodum flava est, sensim vero in aere, dum exsiccatur, colorem leuiter cinereum obtinet et, si in furno, vbi lateres coquuntur, per tres dies noctesque igni exponitur, rubrum colorem acquirit. His praemissis, naturam ochrae Noster nunc considerat, variisque veterum de ochra sententiis additis, asserit, ochrae nomen promereri terram quamcumque, quae tactu pinguis sit, linguae adhaerescat, in igne induretur, intensiori igne disquisita vitrum impurum praebeat, cum phlogisto mixta et forti igne tractata, ferreas particulas exhibeat, neque demum ab ullo acido minerali, sed ab aqua communis soluatur. Ex his secundum Nostri sententiam facile cognosci poterit, num flauum illud Neapolitanum, *giallolino dictum, si Syriacum, almagra recentiorum,*

*rum, seu fil Atticum, bolus Veneta, terra viridis, terra umbra, terra Coloniensis, lapis Armenus, creta nigra aliaeque substantiae, ad ochras refertae, his adnumerari possint, nec ne. Sic flauum Neapolitanum nil nisi colorem cum ochra commune habet; ochram autem, hic descriptam, nequaquam pro effectu ignis subterranei, sed pro terra naturali habet Cl. Auctor, siquidem strata, quae hic se inuicem excipiunt, ordinem feruant, qui nunquam pro effectu ignis subterranei haberri potest. Colligit potius Noster, ochras argillas esse, a materie ferrea tintatas, hasque pariter ac illas non per ignem subterraneum, sed per aquas, vel per alias cauſas, ab igne non dependentes, depositas esse. Itaque flauum Neapolitanum reliquaque terras, supra memoratas, ochris non accenset Noster, hisque non nisi argillas coloratas (*glaïses*) adnumerandas esse, autumat.*

5) *Obſeruatio eclipsis quarti Iouis ſatellitis in re- p. 74. gio obſeruatorio die 25 ian. 1762. facta a Cl. M A- RALDI,*

6) *Commentarius ſuper oculis nonnullorum pifcium, p. 76. auctore Cel. HALLERO *).* Cum theoria viſus et organi huius ſenſus cognitio insigniter olim aucta ſit, Cel. PETITI obſeruationibus, qui quadrupedum et auium oculos follicite examinavit, Ill. HALLERVS eadem ratione pifcium variorum oculos diſsecuit, eaque, quae praecipue notatu digna in iis detexit, hic Academiae communicat. Dolendum tamen eſt, Ill. Auctorem ob diſtantiam, in qua habitabat, a mari, pifcium tantum in aquis dulcibus reperiundorum oculos diſquirere potuisse, ita, vt reliqua ſit contemplatio oculorum pifcium marinorum aliorum stu- diis, quibus eorum copia contigerit. Licet vero ma-

xima pars obseruationum, quae in hoc commentario continentur, ab Ill. Auctore T. V. *Elementorum Physiologiae* (*), in quo de visu differit, inserta fit, praecipua tamen ex eo hic cum Lectoribus communicare, quoniam in recensione eius, in minutioribus istis non morari potuimus, operaे pretium esse ducimus.

Sectione prima de neruo optico piscium differitur. Crassior ille est, quam in reliquis animalibus. In omnibus vero piscibus tubercula, quae loco thalamorum opticorum sunt (**), caua intus deprehenduntur, ut in auibus, atque ex iis neruus duplii radice, anteriore et posteriore scilicet, oritur, quarum ultima interiore partem nerui optici tenet, fibrisque medullaribus satis conspicuis componitur. Vtriusque autem lateris thalami transuersa commissura duobus in locis vniuntur; cum contra in piscibus coniunctio illa neruorum opticorum, quae in quadrupedibus adest, non reperiatur, licet se in omnibus ita decussent, ut neruus, in sinistro latere ortus, dextrum et dexterius neruus finistrum oculum adeat. Qua vero parte se decussant, ibi cellulosis non nullis filis sibi inuicem adhaerent. Alii quoque duo nerui praeter opticum, ciliaris scilicet et muscularis orbitam adeunt. Exterius vero vagina solidiore et pia matre vasculosa obducuntur. Interius laminae medullares complicatae in vnum funiculum coniunguntur, quam fabricam *MALPIGHIVS* iam in thynno vidit. Inferuntur in bulbi latere interiore, loco, satis ab axi longitudinali remoto; quae *nerui inserio sectione secunda* ab Auctore describitur. Maxima hac in re in diuersis piscibus obseruatur varietas, cum in aliis illa cum quadrupedum, in aliis cum auium fabrica conueniat. In cyprino, mustela, tincia etc. neruus satis crassus, scleroticam penetrans,

p. 78. primo

*) Vid. *Comment.* Vol. XII. p. 292 seq.

**) Vid. *Element. Phys.* T. IV. p. 592.

primo membranam argenteam, quae in piscibus loco choroideae est et deinde aliam membranam vasculosam emittit, quae piscibus propria est. Ipse vero neruus cylindricus adhuc per lineae circiter spatium procedit, priusquam in retinam expanditur. In omni hoc transitu et nonnunquam iam ante ingressum in scleroticam, neruum arte comprehendit *membrana nigrescens* (*Ruyschiana*) ex pia matre nerui orta. Lamina vero cribrosa, per quam in quadrupedibus fibrae medullares in internum oculi cauum penetrant, in piscibus plane deficit, ita, ut neruo, digitis compresso, medulla non in filamenta diuisa, sed integra, massae sub specie, egrediatur. Nerui vero finis in aliis piscibus circularem scyphum (*coupe ronde*), in aliis semicirculum refert. In cyprino aliisque piscibus ex circulari scypho plurima filamenta egrediuntur, quae versus omnem ambitum in tenuem membranam, quam *arachnoideam* Noster dicit, et ut internam retinae membranam considerat, expanduntur. Ad auium vero fabricam, quae in truttae, salmonis etc. oculis structura deprehenditur, accedit. Membranae fere eadem, quas diximus, neruum inuestiunt. Ille vero non scyphum format, sed in arcum dilatatur, retinamque per rimam membranae nigrescentis praelongam et ellypticam emitit. Ipsa vero retina appendice simili ei, quae in auibus adest, sustinetur; *pehien* autem (quod PETITUS in auibus descripsit) in piscibus plane deest. Quaenam autem diuersitatis huius, in diuersis piscium generibus obseruatae caussa sit, se ignorare Cel. Auctor fatetur. Docet tamen, vel ex hoc exemplo patere, non commode per analogiam ex uno genere ad alterius naturam concludi posse. *Tertia se- p. 81.*
Etione de retina differitur, cuius tunicae structuram, si ea, quae RUYSCHIUS et ALBINUS, summi viri, hac in re praefliterunt, exceperis, satis adhuc obscura

scura est. Suspicati quidem sunt varii, eam in duas
 laminas diuidi posse, nemo tamen adhuc id in ho-
 mine, ob summam huius tunicae mollitiem praestare
 potuit. In piscium autem oculis recentibus haec res
 facillime succedit, si, exterioribus tunicis caute sepa-
 ratis, retina cum huniore vitreo spiritui vini immit-
 titur. Post aliquot enim dies retina in duas mem-
 branas separari potest, exteriorem scilicet pulposam,
 albam, et interiorem medullarem, quam *arachnoi-
 deam* Ill. Auctor dicit, quae pulcherrimo spectaculo
 in strias fibrasque rectas expansa, vitreo humoris in-
 cumbit. Facillime hoc in cyprino et tinca detegi-
 tur, atque in vniuersum duplex retinae lamella in
 omnibus animalibus adesse videtur, cum in sue, fele,
 gallopauone, ansere et ardea illam Cel. Auctor inue-
 nerit. Rubra autem in retina vasā in pīceibus nun-
 quam vidit. Tegitur vero retina in vniuersum, in
 ea, qua reliquias oculi tunicas spectat, superficie, mu-
 co quodam nigro inorganico, ex *nigra tunica* exsu-
 dante, qui veram quasi membranam refert, quo
 illorum, qui in choroidea visus organon quaerunt,
 sententia, plane refellitur, cum impossibile sit, ut per
 eum radii lucis ad illam tunicam penetrare possint.
 Anterior autem retina circa confinia corporis ciliaris
 definit, eique ope circuli, qui vitreo humoris aggluti-
 natur, adhaeret. Humor autem *vitreus*, de quo *qua-
 p. 84. ta sectione* Auctor Cel. exponit, parvus est parum-
 que conexus. Carent pisces corona ciliari, ut vuea
 immediate corpori vitreo incumbat. Vasa vero hu-
 ius humoris duplia, anteriora et posteriora, facile
 deteguntur. In cyprino scilicet et tinca hoc loco ex
 nigra choroideae lamina taenia aliqua dentata, ex-
 pansione retinae tecta, procedit. Huic vas rubrum
 inferitur, cuius truncus ad lentem pertinet, ex quo
 vero primum rami prodeunt, qui totum humorem
 vitreum circuli instar anteriorius ambiunt. Duplex
 vero

vero rete vasculosum ibi deprehenditur, venosum atque arteriosum, ex eoque rami oriuntur, qui cum vasis posterioribus, mox describendis, circa omnem conuexitatem vitrei humoris pluribus anastomosibus iunguntur. Oriuntur haec vasa posteriora ex trunco centrali retinae, uno ramo, qui mox in ramos plures tanquam radios secedit, versus anteriora excurrentes. In salmonibus autem aliisque piscibus, ex eo loco nerui optici, quo ille longior fit et arcum format, arteriolae procedunt, nigro pigmento obductae, quae circa conuexam vitrei humoris partem rete faciunt. Quando vero anterius ad vueam accedunt, membrana accessoria ab ea tunica aliisque vasis augentur, siveque membranaceam campanulam formant, maculatam, intus albam, quae in acutum mucronem abit, ex quo plurima fila capsulae lentis adhaerent. Centralis quoque nerui optici truncus ramos in his piscibus humoris vitreo dat. Varietas et alias subtiliores descriptiones, sine figuris vix intelligendas, hic omittimus. *Quinta sectio de lente p. 87.*
crystallina piscium agit. Maxima illa est et multum conuexa, atque in cameram oculi anteriorem ita anterius eminet, ut nulla camera posterior supersit. Non perfecte sphaerica est. Vasa lentis crystallinae Ill. Auctor in aue lacus Lemani, quam *Mergi* speciem fuisse coniicimus, vidit, ex circulo vasculoso retinae orta. In piscibus quoque vasa ad anteriorem usque capsulae partem persecutus est. Posteriora vasa ex centrali retinae oriuntur. *Choroidaea* piscium, de qua *sexta sectione* Auctor Cl. disputat, tribus, ut supra iam monuimus, laminis constat, *argentea* scilicet externa, *nigra* (*Ruyschiana*) interna, mucro nigro interius obducta et *vasculosa*, quae his duabus interiacet, de cuius ortu superius diximus. Vasa autem sub ingressu nerui optici orta, postquam scleroticam perforarunt, partem quandam constituant,

tuunt, nondum pro dignitate rei descriptam, piscibusque propriam; annulum scilicet, ferri equini figuram habentem, gelatinosum et rubellum, qui, si siccescit, vel spiritui vini immissus est, carnem quasi refert. Vsum huius organi Cel. Auctor definire non audet. Credit tamen, illud circulo sanguinis inferire et sphincteris lamellosi munere fungi, atque, si breuior fit, illius ope Ruyschianam tunicam et lentem versus neruum trahi.

p. 91. De *vuea et corpore ciliari septima sectione* differitur. Iris siue anterior vueae lamina facile in piscibus a posteriore separari potest. Pupilla autem luce irritata, in iis non contrahitur. In oculo felis iunoris submersae Cel. Auctor pupillam ab externo calore se contrahere, atque deinde iterum dilatare vidit. Repetitum vero experimentum successu caruit. Corpus ciliare omnino ex Cel. Auctoris mente lentem crystallinam retinet, ei-que adhaeret, licet plures dissectores et inter hos beatus ZINNIVS hoc negent. Gluten scilicet nigrum radios corporis ciliaris capsulae vnit, superficiesque eorum interior, eiusdem glutinis ope sulcis coronae ciliaris agglutinatur. In fele et ardea haec adhaesio manifeste adest. Leuior vero putredinis gradus hunc nexum tollit, in quo caufsa latet, cur eam ZINNIVS aliique in hominibus detegere non potuerunt.

p. 94. Ultima tandem sectione docet Auctor Cel. corneam in plurimis piscibus planam fere esse, licet in mustela satis conuexa sit. Humore aqueo pisces non carent, viscosus tamen est. Satis vero fluidus in salmone reperitur. Vitreus autem humor gelatinosam naturam habet.

p. 96. 7) *Methodus inueniendi accuratissime motum Veneris vel Mercurii horarum, cum per discum solarem trans-eunt, praescripta a Cl. DE LA LANDE.*

8) *Com-*

8) *Commentatio de salinis comitatus Burgundiae, p. 102.*
de vitiis salium, quae sub forma panis ibi venduntur,
(sels en pain) deque methodo ea corrigendi. Auctore
Cl. MONTIGNY).* Cum sal culinare, quod in Bur-
gundiae comitatu obtinetur et in usu est, ob depraua-
tam indolem neque ad saliendos caseos, quorum ta-
mén magnum ibi commercium faciunt incolae, ne-
que ad saliendam carnem aptum satis repertum fue-
rit, incolaeque dictae prouinciae iustas ob id quere-
las ad regem detulerint, Noster pariter ac Cl. HEL-
ZOT iussu principis experimenta sollicite institue-
runt, de quibus, quid detectum fuerit, summa quasi
in hac commentatione communicatur. Partes con-
stituentes tam fontium salinorum, quam salinarum
memoratae prouinciae praeter sal marinum seu sal
gemmae sunt gypsus seu selenites, salia composita,
quae ex acido vitriolico et basi terrea, vel ex eodem
acido et basi alcalina constant, salia porro delique-
scentia, quae ex acido salis marini et basi terrea con-
stant, terra insuper alcalina admodum alba, tandem
argilla colorata valde subtilis, et nonnullae partes
pingues bituminosae fortem odorem petrolei de se
spargentes. Sal, quod paruas crystallos praebet, al-
cali terreo abundat; ex quo collendum est, eiusmo-
di sal pro neutro habendum non esse. Sal contra,
quod magnas crystallos dat, pro neutro habendum
est; magnas autem et puras crystallos non nisi per
euaporationem admodum lentam obtineri, experien-
tia docet. Sal deum, quod sub forma panis vendi-
tur, omnium maxime impurum est, siquidem ex cry-
stallis paruis et lixiuio, quod e formatis crystallis
paruis remanet, paratur. Cum autem in lixiuio non
solum sal marinum, sed et selenites, sal mirabile
Glauberi, sal marinum terram pro basi habens, terra
insuper calcarea et materiae pingues continentur,
atque

*) Lecta d. 21. April. 1762.

atque praeterea ipsa praeparatio super prunis ardentibus instituatur, sal istud non nisi impurum atque tum ob peregrinas hasce substantias, tum etiam ob ambustionem amarum, empyreumaticum et acre euadere posse, Noster colligit. Caeterum nullum vitriolum ferri, cupri, aut zinci, neque ullam substantiam mercurialem, antimonialem aut arsenicalem, neque ullam aliam noxiam substantiam, ut tamen putarunt, isti sali inhaerere, per experimenta euidetur est. Ad depurandum ita sal, quod panis formam habet, aquam puram Noster adhibuit, ita nimirum, ut hac ipsa frusta salina irrorata ab adhaerentibus partibus peregrinis per deguttationem liberarentur; posthac autem frusta illa adhuc madida non super prunis ardentibus, sed in concamerationibus, singulari modo constructis, ita, ut calor furni intraret, exsiccationi exposuit, sive frusta salina sicca et pura, a partibus peregrinis liberata, obtinuit.

p. 131. 9) *Examen quæstionis inter Astronomos exortæ de methodo computandi aequationem temporis, institutum a Cl. DE LA LANDE.*

p. 137. 10) *Annotationes in nonnulla phænomena, quæ ad electricitatem posituam ac negatiuam probandam adhibentur, suppeditatae a Cl. NOLLET.* Quam Vir Cl. inde ab initio, quo innotuit ac eruditissimis physicis maximopere se commendauit, theoriam electricitatis Francklineanam impugnauit, eam, cum ab omnibus controversiis maxime se abhorrente profiteatur, solius veritatis amore tanto lubentius denuo adgreditur, quo anterioribus examinibus eius theoriae se id obtinuisse certus animaduertit, sectatores F R A N K - L I N I, inter quos eminent W I L S O N V S, coactos fuisse, noua, dum antea capta parum ad id idonea cognouerint, experimenta, ad probandam electricitatem posituam

tiuam ac negatiuam conquirere. Haec nunc sub
 examen vocat, ac disquirit, vtrum ita sint compara-
 ta, vt per ea extra dubium duplex illud electricitatis
 genus constituatur. In antecessum vero monet pri-
 mum, se non pugnare contra terminos positiuae ac
 negatiuae electricitatis, siue quae fit per condensatio-
 nem ac rarefactionem, quamuis non possit diffiteri,
 eos esse maxime improprios et obscuros; deinde
 obseruat sedulo se non negare, ignes electricos, qui
 cuspides et puncta lucida appellantur, conspici vulgo
 opposita ratione fitos, prout electricatio fit vel per
 globum sulphureum vel vitreum, ita, vt ex situ eo-
 rum satis certo, licet globus, quo id fiat, videri ne-
 queat, cognosci possit, vtrum conductor vim a ma-
 teria resinosa, an vero vitrea accipiat; tandemque
 declarat, idque in omnibus suis scriptis se affirmasse
 docet, multoties se vidisse, corpora, per vitrum elec-
 trificata, attracta fuisse a corporibus sulphuris ope
 electricatis. Licet vero terminos nouos certis phae-
 nomenis designandis destinatos, ac ipsa phaenomena
 ultro cum aduersariis admittat, veraque esse conce-
 dat; ex iis tamen non consequi putat corpora non
 alia ratione electricari, vt volunt, qui Franklinianam
 hypothesin assumunt, quam impertiendo aliis cor-
 poribus eam materiam, qua ipsa abundant, vel reci-
 piendo eandem ab aliis corporibus, in quibus maior
 eius adeat copia, adeo vt omnia phaenomena ab uno
 eodemque vnius materiae flumine producantur. Non
 agitur itaque de terminis ac experimentis contro-
 versis, sed eius cardo eoredit, vt propositionem
 hanc vel experimentis vel ratiociniis, inde legitime
 ductis, probent; cum e contrario Cl. Auctor doceat,
 phaenomena electrica produci duobus materiae di-
 stinctis fluminibus, cursu opposito in se agentibus.
 Ut vero huic suae sententiae magnam conciliet proba-
 bilitatem, oppositam Franklinianam dubiam redde-

re conatur examinando parte prima, vtrum aliqua veri specie supponi possit, fluidum electricum in corporibus condensari vel rarefieri; secunda vero parte considerat motus electricae materiae diuersos, ipsosque persequendo in iis ipsis experimentis, quae ad declarandam negatiuam ac positiuam producuntur, satis distinete concipi posse docet, simul et eodem tempore eius materiae duo flumina aduersi oppositique cursus. Quod tanto acumine Aucto^r tan- taque doctrinae physices solertia exponit, vt nullum sit dubium, ea se^ttatoribus FRANKLINI et in primis Cl. WILSONO praebitura esse occasionem vberrimam theoriam suam vindicandi, eamque multo clariorem reddendi.

p. 161. 11) *Disquisitio de satellite Veneris viso vel presumto ac de caussis breuioris eius apparitionis et longioris occultationis*, auctore Cl. DE MAIRAN.

p. 170. 12) *Obseruatio de eclipsi lunae, die 8 Iunii 1762 obseruata a Cl. MARALDI.*

p. 172. 13) *Commentatio altera de mineralogia territorii Parisini*, auctore Cl. GUETTARD^{*)}). In prima com- mentatione^{**) Noster generalem locorum dedit de- scriptionem, nunc autem ad particularem corporum, ibi deprehendendorum, considerationem accedit, de quibus in pluribus commentationibus se aeturum es- se, refert. In altera hac commentatione de silici- bus, ibi occurribus, agit, quos respectu coloris 1) in silices coerulescentes; et 2) ex gryseo flaue- scentes diuidit; respectu figurae autem quinque spe- cies enumerat: 1) silices lamellatos; 2) globosos, 3) articulatos, seu qui formam siliquae habent; 4) anthro-}

^{*)} Lecta d. 31 Mart. 1769.

^{**) Vid. Comment. nostr. Vol. XI. P. III. p. 398.}

anthropomorphos seu anthropoglyphos et zoomorphos seu zooglyphos; 5) irregulares, qui cum nullo corpore alio comparari possunt. De his, quatenus singulares formas repraesentant, sigillatim nunc agit Noster, ita, vt non solum hi ipsi silices nimis profecto sollicite describantur, sed et variis iconibus repraesententur. Hi figurati silices, vt Cl. Auctor notat, plerumque a massa lapidum, vbi formantur, separati reperiuntur, interdum autem corpori plano affixi deprehenduntur. Nonnulli eorum in lapidibus formantur, qui ex lamellis quasi constant, quae facile a se inuicem secedunt et, si pluia irrorantur, in speciem argillae coloratae (*glaise*) fatiscunt. Alii in lapidibus formantur magis compactis magisque duris, qui in aere non in lamellas separantur, sed tra*et* temporis in eo soluuntur et terrae cuidam albae margaceae ortum praebent. Hi colorem album habent, illi vero colorem ex gryseo viridescentem. Vtrumque genus sub primo strato lapidum gypseorum situm obtinet, lapidesque albi sub lapidibus ex gryeo-viridescentibus reperiuntur. Silices autem in interioribus horum lapidum delitescunt, nec facile extra eos cernuntur. Caeterum alii horum silicum cum chalybe non scintillant, alii autem, semper tamen difficilis, quam silex igniarius seu pyromachus, scintillas dant. Priores ad illam lapidum speciem, quae cos vocatur, maxime accedere, Noster autumat. De cotibus autem notat, eos in pluribus locis Galliae et in primis circa Lutetias Parisiorum occurrere, a natura indolis calcariae esse, in silices mutari, et omnes cotes non nisi respectu coloris differre, siue sint, qui duriores appareant, id tantum a diuerso gradu maturitatis prouenire. Tandem monet, denominationes corporum naturalium, et in primis mineralium, quae nostris temporibus ultra modum adaugentur, citra necessitatem accumulandas non esse, nihilque tam ri-

diculum esse, quam enorime illam nomenclaturam, quam scriptores historiae naturalis insigniter augent. Reete autem monet, sufficere omnino, si corpora et in primis lapides, per characteres constantes, in genera discernantur, simulque annotetur, haec ipsa corpora ex variis accidentalibus insigniter variare. Ultimo de cotibus, in Gallia occurrentibus, tabulas adnectit, in quibus loca, vbi cotes occurunt, eorum colores, effectus aquae fortis in hos lapides, tandemque formae et colores dentritidum, quibus cotes insigniuntur, annotantur: hafce autem tabulas explicatio octo iconum aere incisarum, excipit.

p. 205. 14) *Eclipsis lunaee partialis die 8 maii 1762 obseruata a Cl. MÖNNIER.*

p. 206. 15) *Commentarius de ossibus et dentibus, magnitudine sua insignibus, Auctore Cl. DAUBENTON**). Plura ossa, in terra reperta, sub nomine ossium *Mammuti* ex Sibiria allata, atque in museo regio conseruata, Auctor Cl. cum ossibus elephantorum recentibus comparat, docetque omnino ad horum animalium sceleta pertinere. Idem de femoris osse, in Canada reperto, probat. Dens vero insignis eodem fere in loco inuentus, hippopotomi est. Aliud os, quod gigantis dicebant, giraffae s. camelopardalis radium esse, Cl. Auctor, licet nunquam giraffae sceleta videbit, ex sola analogia probat.

p. 230. 16) *Annotatio, concernens caussam motus detecti in nodis tertii et quarti satellitis Iouis, conscripta a Cl. DE LA LANDE.*

p. 234. 17) *Commentatio prior de natura soli regni Poloniae et de mineralibus in eo repertiundis. Auctore Cl.*

GUE T-

*) Lecta d. 28 aug. 1762.

GUETTARD *) Regnum Poloniae a Nostro in partem arenosam, margaceam, salinam et metallicam diuiditur. In priore hac commentatione arenosam tantum partem considerat, ad quam Russia al-p. 237. ba versus orientem et pars Lithuaniae, Curlandia, Samogitia versus septentrionem, Pomerellia, Prussia Polonica, maxima pars Poloniae maioris, Mazouia et Podlachia versus occidentem, Podolia et parua pars Volhiniae versus meridiem referuntur. Ostendit autem Cl. Auctor, solum harum regionum arenosarum ex silicibus, quarzo, iaspide aliisque lapidibus vitreoscibilibus constare, quibuscum fragmenta lapidum calcareorum mixta sint, saepe corpora marina fossilia continentia, quae tamen interdum separata reperiuntur. Terras praeterea, quae in interioribus massae arenosae strata formant, indolis argillaceae seu margaceae esse, inque arena saepe succinum reperi et praeter ferri mineras, quae non nisi in locis palustribus deprehenduntur, nec vñquam per strata, sed in frustis dispersis occurrunt, ideoque mineram ferri subaquosam seu palustrem praebent, nullas alias in dictis regionibus obtineri, perhibet. Tandem aquas minerales, sed non nisi martiales, atque crebro lacus, raro autem montes, pro monticulis seu collibus potius habendos, ibi detegi, refert.

18) *Obseruatio declarans, apparentem diametrum p. 258. Veneris in ipso splendentis solis disco visae sensibiliter non diminui.* Auctore Cl. DE LA LANDE.

19) *Nonnullae phases in eclipsi solari d. 17 octobris p. 262 1762 obseruatae a Cl. DE FOUCHY.*

20) *Solstitia aestiuua per lentem obiectiuam, cuius goc p. 263. pedum focus est, in plano Gnomonis ecclesiae s. svltitii constitutam, obseruata a Cl. MONNIER.*

Gg 3

21) *Dif-*

*) Lecta d. 7 aug. 1762.

p. 267. 21) *Disquisitio concernens rationem conciliandi obseruationes in templo s. SVLPIITII factas cum diminutione obliquitatis ecliptices cognita.* Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 269. 22) *Comparatio altitudinum solstitialium superiores solis marginis cum altitudine arcturi anni 1738, 1743 et 1763 instituta a Cl. MONNIER.*

p. 270. 23) Vide supra num. 19.

p. 293. 24) *Commentatio posterior de natura regni Polonici et mineralibus in eo reperiundis.* Auctore Cl. GUETTARD *). Regionibus arenosis earumque productis perlustratis, ad reliquas regiones accedit Noster, statimque monet, Poloniā non pro regno mere plano habendam esse, sed et montes et admodum altos quidem, in quibus lapides et minerae omnis generis contineantur, in ea reperiri. Secundum ordinem, ab Auctore receptum, pars margacea hic primo consideratur, quae, ut perhibet, tam late, ut metallica, non extenditur, latior ta-

p. 294. men est salina. Haec ipsa palatinatum Cracouensem, Sandomiriensem, Lublinensem, Chelmensem, Belcensem, Leopoliensem, usque ad Volhiniam, immo maximam partem Volhiniae et Podlachiae, forte etiam Kiouiae constituit. Regiones hae, quas margaceas vocat, ex lapidibus calcareis et gyroseis constant, quae conchilia immixta habent. Praeter ferrum, quod minerae palustres largiuntur, nullum insuper aliud metallum in dictis regionibus occurrit. Caeterum in iisdem regionibus pauciores lacus paucaque flumina magna deprehendi, Noster perhibet.

Pergimus

*) Lecta d. 22 dec. 1762.

Pergimus cum Cl. Auctore ad partem salinam. p. 307.
 Haec secundum eius sententiam ea est, vbi fodinae salis
 gemmae fontesque salini deprehenduntur, quorum tri-
 ginta octo enumerat. Spatium, vbi fontes salini sunt,
 a Sambor vsque ad Kuby viginti sex millaria germanica
 constituit; quod autem ad fodinas salis gemmae atti-
 net, alia prope Wieliczkam, duo millaria a Cracouia p. 307.
 distantem, aliaque prope Bochniam, duodecim millia-
 ria a Wieliczka distantem deprehenditur. Praeterea
 in hac regione terra calcarea cum creta mixta repe-
 ritur, interdum solum arenosum est, in quo silices
 et conchylia reconduntur; tandem etiam minerae
 sulphureae et aquae sulphureae, nec non lithanthra-
 ces deteguntur. De salinis infra in peculiari com-
 mentatione fusius agit.

Metallica demum pars, quam montes sic dicti p. 317.
 Carpathici constituunt, inter Hungariam et Mora-
 viam nec non Silesiam vsque ad Moldauiam inter
 Transyluaniam et Russiam rubram se extendit. In
 hisce montibus omnia genera mineralium et fossili-
 um contineri, aliorum auctorum testimoniis suf-
 fultus, Noster docet. Inter fodinas, notatu di-p. 321.
 gnas, fodinae Olkutzenses eminent, quae saeculo de-
 cimo quarto iam extiterunt, quaeque in primis ga-
 lenam plumbi maxima in copia praebent. Caete-
 rum rem metallicam in Polonia ob rationes politi-
 cas non adeo attendi et incolarum commercium tan-
 tum in frumento, lino, cineribus clauellatis, pice
 vulgari consistere, vixque permitti, ut ex scoriis mi-
 nerae argenti Olkutzensis argentum extrahatur, No-
 ster monet. Sub fine descriptio figurarum ad-
 annexa est, vbi in sex tabulis aeneis varia producta
 huius terrae et in primis petrefacta delineata conspi-
 ciuntur.

25) *Disquisitio declarans, fieri posse, ut Lutetius p. 337.*
Pariforum via facili ac per unicum canalem seu uni-

cum aquae du&sum mille aut mille ac ducenti pollices
aquae bonae ad eandem altitudinem deducantur, ad
quam aqua ex Arcueil in eundem locum pertingunt.
Auctore Cl. DE PARCIEUX.

p. 462. 26) *Observationes meteorologicae an. 1760, 1761,
1762 Varsouiae factae a Cl. GUETTARD.*

p. 431. 27) *Investigationes physico-mechanicae ac ana-
lytiae, concernentes sonum et tonos tubarum organico
pneumaticarum diuersimode confectarum.* Auctore
Cl. DAN. BERNOULLI.

p. 486. 28) *Disquisitio de motu solis apparenti et de ne-
cessitate adhibendi solummodo obseruationes praeteriti ac
praesentis saeculi ad deducendum motum nodi Veneris.*
Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 491. 29) *Annotationes in scriptum quoddam de dia-
metro Veneris, lectum in Academia.* Auctore EODEM.

p. 493. 30) *Commentatio de fodinis salis gemmae prope
Wieliczkam in Polonia.* Auctore Cl. GUETTARD.
Fodinae hae salis gemmae ad radicem montis sitae
sunt, super quem vrbs Wieliczka exstructa est. In-
trant fossores hasce fodinas siue per puteos funium
ope, siue per scalas ligneas, siue per scalas, ex late-
ribus coctis vel lapidibus fabrefactas, quae ex qua-
dringentis et septuaginta gradibus constant. Strata
salis gemmae admodum profunde sita sunt. Pri-
mum ab ingressu stratum ex arena vulgari, in Polo-
nia obuia, formatur; hoc excipiunt varia strata ar-
gillacea diuersi coloris, arena plus minus mixta,
quorum nonnulla varia conchylia immixta habent.
Strata haec argillacea intercipit stratum lapideum la-
mellosum, indolis calcareae. Ultima strata argilla-
cea

cea per speciem lapidis gypsei separata reperiuntur; sub quibus demum strata salina in conspectum veniunt. Latitudo et profunditas horum stratorum nondum definiri potest, cum terminus nondum repertus sit. Substantia huius salis valde dura, eiusque color gryfeus vel albus est: sal hoc plerumque opacum, interdum tamen pellucidum reperitur. Nonnunquam medio in sale partes substantiae nigrescentis plus minus magnae reperiuntur, quae ligni petrefacti formam habent, quaeque flamma admota accenduntur, sponteque sese extinguentes odorem olei empyreumatici de se spargunt. Cum strata haec salina ad situm horizontalem inclinent, in excauandis hisce fodinis varia tabulata exstruere coguntur, quae ex cuniculis constant, in quibus columnae saline ad firmandum fornicem relinquuntur. Nonnulli horum cuniculorum per puteos, qui ab uno tabulato ad alterum progrediuntur, perforati sunt. Per puteos hos ope girgillorum (*trévils*), circa quos funes voluuntur, quiue ab equis trahuntur, enormes massae saline extrahuntur. Equi, quoad vivunt, et huic operi pares sunt, in fodinis manent, ipsaque equilia in fodinis excauata seu exstructa sunt. Aer in hisce fodinis purus et sanus est; maxime puritatis curam ibi habent; vnicum incommodum puluis excitat, qui ab equis per pedes in solum impactos et ab ipso labore prouenit. Non reticendum tamen est incommodum maxime pericolosum, quod interdum, sed raro accidit: subita nimirum explotio obseruatur vaporis inflammabilis, qui se in nonnullis locis et quidem in cuniculis vetustis et derelictis accumulat, quiue a candelis ardentibus, quas operarii gerunt, accenditur. In iisdem quoque fodinis facella reperiuntur, in quibus variae statuae sanctorum variaque ornamenta, ex meris frustis saline facta, deprehenduntur et ubi quatuor quotannis

missae celebratur. Operarii per octo tantum horas labore occupati sunt, quibus praeterlapsis, alii laborem suscipiunt. Frusta salina ope marrae seu runcinae et cuneorum separantur, inque cylindros efformantur; parua autem frusta in dolia immittuntur, sive que girgillorum ope extrahuntur. Praeterea in iisdem fodinis aqua salfa magna in quantitate reperitur, quae a vaporibus humidis terrae prouenit, quippe qui massam penetrant, sal dissoluunt et cauitatibus fodinarum reddunt. Hae aquae omni cura per machinas extrahuntur. Caeterum massas illas salinas ab aquis marinis, quae vel per inundationem particularem, vel per diluvium vniuersale primo sal contentum, posthac diuersas angillae species lapidesque calcareos, tandemque arenam ibi deposuerint, provenire, Noster coniicit. Sub finem explicatio iconis adnexa est, in qua delineatio fodinarum salis gemmae prope Wieliczkam deprehenditur.

p. 517. 31) *Observationes botanico meteorologicae a Cl. DU HAMEL in arce Denainvilliers factae an. 1761.*

p. 543. 32) *Observatio, qua character genericus plantae Marsilea dictae, accuratius definitur. Auctore Cl. GUETTARD.* Planta aquatica est, stagnis inhaerens, radicibus in aquam immissis, variis ramis in superficie expansis, foliis oppositis, oblongis, simplicibus, superius non nihil concavis, quilibet vero ramus quatuor ad octo foliorum paria habet. Folia haec, lantis ope contemplata, in superiori superficie parvas eminentias mammillares, pilis varie contortis, et versus medium sulcum directos, ornatas habet. Substantia foliorum quasi vesicularis est et in inferiori superficie in plana angulosa diuiditur, ex quibus singulis filamentum producitur. Ex qualibet coniugatione foliorum inferius pediculus exit lineam longus,

longus, cui fasciculus rotundus, ex pluribus capsulis sphaericis compositus, adhaeret. Hae capsulae lineam circiter in diametro habent et aliam quasi capsulam dissepimentis transuersalibus conspicuam intus continent, in qua grana rotunda alba haerent, quae ex filamentis internis ramosis dependent et stamina vera cum suis antheris referunt. Inferius paullo inter alas radicis alia capsula solitaria haeret, quae externa facie ferine cum prioribus conuenit, sed grana oblonga, praecedentibus maiora, sed parciora continet, quae ut pistilla et fructus considerari merentur. Illa minora rotunda in ramis varie diuisi haerent, haec oblonga pediculis insident, et ex inferiori capsulae fundo, quasi ex vna basi surgunt. Ex his igitur diuersum situm staminei et pistillati floris declarare, modum impregnationis describere et contra obiectiones defendere annititur Cl. Auctor, quae vero ex vberiori eius descriptione et icone adiecta melius intelliguntur.

Ad lemmam cum marsilea comparandam posteap. 548. se conuertit Noster, dum foecundationem sub aquis declarat, in his enim et pilularia, materiam antherarum spermaticam instar nubeculae effundi assumit, quae in aquis non protinus dissoluta, pistillis in capsulis apertis se applicant. Quod si vero hic modus locum non habeat, in plantis his non nisi tum, cum stagnis exsiccatis in sicco haerent, admissio pollinis ad apicem pistilli possibilis est. Mitterimus reliqua, quae de proportione staminum ad pistilla proferuntur.

Ampla igitur generis definitione exhibita, alia, p. 550. a MICHELIO et LINNAEO tradita, sub examen vocantur, qua in re, reliquis omissis, filamenta, in superficie foliorum posita et superius indicata, stamina dici, differentiam vero capsularum, stamina et pistilla continentium, non attendi moneimus. Lemma etiam

et marsfilea genera diuersa sunt, et si a LINNAEO coniungantur; nam praeter diuersam figuram staminum, filamentorum et pistillorum, in lemma quoque stamina et pistilla in vna capsula coniuncta haerent. Planta vero, quae a Nostro in Polonia disquisita est, non tantum in aliis septentrionalibus Europae regionibus deprehenditur, sed etiam in australibus detecta, antea ad lenticulam palustrem et stratiotem relata est. Nouum saluiniae genus MICHELIUS constituit, LINNAEO autem marsfilea foliis oppositis simplicibus appellatur.

p. 557. 33) *Cometae visi mensibus maio et iunio anni 1762 obseruationes factae in obseruatorio regio a Cl. MARALDI.*

p. 562. 34) *Considerationes cometie 1762 visi a Cl. DE LA LANDE.*

p. 570. 35) *Obseruatio transitus Veneris per discum solis die 6 iunii anni 1761. ac determinatio eius coniunctionis, nec non positionis nodi Veneris, auctore Cl. JE AURAT.*

p. 578. 36) *Tertia descriptionum pars, concernens methodum telescopia perficiendi, conficiendi lentes obiectivas, ex pluribus materiis diuersimode refringentibus, auctore Cl. CLAIRAUT.*

p. 632. 37) *Commentatio de subere montano, quod ad ingressum et egressum viae, quae ad parochiam Mandagout et ad Vigan in dioecesi Aleesiensi dicit, reperitur, deque pluribus aliis ad historiam naturalem et chymiam pertinentibus. Auctore Cl. MONTET. Minerai suberi montani, quae a Nostro describitur, in monte reperitur, qui Moreses seu Lou cap de Mories*

rises vocatur. Minera haec raro in Gallia occurrit, inque superficie terrae reperitur. Suber hocce montanum nulli corpori adhaeret, sed terra obdusatum obtinetur, quae non nisi cultri aut aquae ope separari potest. Figura eiusdem diuersa est; alia enim frusta, vix duas tresue lineas crassa, fungo similia sunt; alia vero figuram oblongam habent et valde crassa sunt; alia autem parua et, ut silices, irregularia, plurima tandem aspera deprehenduntur. Si diuersa haec frusta accurate examinantur, in uno partes minus flexiles, quam in alio, reperiuntur, eaeque lignosae apparent; semper autem partes, multa terra incrustatae, durissimae sunt, quae tamen, terra separata, pari ratione flexiles euadunt. Magna frusta suberis ponderosa sunt, parua autem leuia apparent; si tamen magna in plura parua discinduntur et ab omni terra separantur, simili quoque modo leuia euadunt. Si haec frusta per aliquot dies in aqua macerantur, extremae partes emolliuntur, sique partes emollitae separantur, suber ex variis stratis per leuem ochram separatis compositum appareat. Si id ab impuritatibus separatur cumque acidis miscetur, non effervescit, idemque vel per se vel cum alcali crucibulo commissum, fortique igni per aliquot horas expositum, aliqua ex parte quidem mutatur, minime tamen funditur.

His de subere praemissis, de aliis quoque rebus naturalibus mentionem facit Noster, primoque solum, ubi suber reperitur, describit. Solum istud ex terra lutescente, cum pauca ochra mixta, constat; lapides in eo reperiundi speciem talci seu ardesiae rudioris sistunt et magna in copia ibi deprehenduntur, alii autem ad quarzum pertinent. Ardesia duplicis generis est; alia durior deprehenditur, hacque domicilia teguntur, alia friabilis est; utraque tamen nec

nec cum acidis efferuescit, nec calcinari se patitur, sed in igne vitrescit. Praeter hosce lapides saxum quoque simplex reperitur, cui mica se vnit; nec arena etiam in quibusdam locis ab hoc solo aliena est. Ad littora maris fabulum deprehenditur, quod, dum mare exaestuat, eo deponitur: inter alia producta notatu in primis dignus est lapis sic dictus variolarum, qui copiose ibi reperitur. Ex castaneis, quarum arborum magna ibi copia crescit, vetustioribus succus niger manat, qui pro atramento usurpatur, cuius sapor, ut Noster refert, a sapore atramenti artificialis parum differt. Afferit praeterea, se ex cineribus castaneorum verum tartarum vi-

p. 655.

triolatum obtinuisse. Observauit etiam in itinere in officina vitriaria, salem marinum, in soda contentum, integrum se volatilisasse, sodaeque alcali cum arena mixtum in vitrum se mutasse, salem marinum autem abiisse. Atque haec sunt praecipua, quae decerpere licuit, alia pauca, notatu minus digna, praeterimus.

IX.

Observationes medicae IOANNIS A BONA,
Veronensis Patauinae académiae Professoris
ad praxin in nosocomio ostendendam anno
MDCCCLXV. praemissa oratione prima in
gymnasio habita et mantissae loco addita hi-
storia aliquot curationum mercurio sublimato
corrodenti perfectarum, olim edita. Patauii
1766. apud Io. Bapt. Penada. 4. Alph. I. pl. 4.

Accepsum profecto et imitatione dignum singulis fore putamus consilium, quod inierunt Patauinae académiae moderatores, ut nouam docendi ratio nem instituerent, qua adolescentes ad aegrotos, ali quo

quo praeconstrante, accedere possent. Est nimirum schola clinica anno 1765 Patauii instituta, senatusque decreto confirmata, et munus in ea docendi impositum est Cl. A B O N A, cuius obseruationes medicas, anni vnius spatio in hoc nosocomio factas, iam indicare animus est. Oratione, ex qua instituti ratio apparet, praemissa, addita est disputatio de ratione pulsus explorandi et de eius differentiis, cui subjunguntur duodecim obseruationes. Tum totidem obseruationes, cum mercurio corrodente atque hydrargyrosi in lue venerea factae, sequuntur, cum denuo recusa historia octo curationum, mercurio corrodenti perfectarum. Tandem leguntur binae epistolae Ill. L. B. GERH. V. SWIETEN ad Ios. BENVENTVM denuo recusae, quarum mentio iam alibi *) a nobis facta est.

Pulsus explorandi ratio ita proponitur a Cl. Au-p. 21. Etore: brachium nec adeo tensum nec adeo flexum sit, cuius carpo trium digitorum, indicis, medii, annularis summa pars, nunquam pollicis, admouenda est, nec nimium arteriam premendo, sed blande et successiue fortius, attente, diu, quia interdum non nisi quinquagesimus, aut aliis quisque vitium prodit, et iterato pulsus mutationes examinanda sunt manu omnino calida. Quo facto, obseruationes ipsae sequuntur, quarum cum de singulis dicere nequeamus, sufficiat, morbos aegrotorum indicasse et speciminis loco aegroti quarti historiam morbi tradidisse. Aegrotus 1) perpessus est morbum pleurae, pulmonisque inflammationum, 2) apoplexiam sanguineam lethalem, 3) fuit senex 80 annorum, qui apoplexiā passus est. 4) Senex nonagenarius quarto die p. 46. morbi in nosocomium delatus est. Febre laborabat, quae illum aggrediebatur hora 22 cum rigore totius corporis, praecordiorum anxietate summa et lethargo, qui quidem

(*) Vid. Comment. nostr. Vol. V. p. 717.

quidem ab initio febris usque ad horam vigesimam diei sequentis durabat. Pulsus omnibus modis inaequales erant. Urina saturate rubra lateritium sedimentum exhibebat. Statim chinam chiaue praescripsi ad drachmas duas singulis horis. Die sequenti febris renouata est, sed mitior, nec ita lethargicus fuit aegrotans. Tertio liber a febre fuit, pulsus compositi sunt, anxietates omnes euauerunt et breui e nosocomio summa cum discipulorum admiratione sanus decessit. Sumit corticis uncias quatuor. In scholio adnexo monet Cl. Auctor, febrem hanc tertianam duplicem fuisse continuam ac simul de febribus eiusmodi perniciose, statim cortice curandis, varia addit utilia. Aegrotus 5) passus est febrem continuam subintrantem eique lethalem, 6) pleuritidem notham rheumaticam, seu febrem rheumaticam cum lateris dolore acuto, 7) pleuroperi-pneumoniam septimo die lethalem, 8) febrem rheumaticam, 9) peripneumoniam notham; 10) euadem morbum, qui vero quarto die in legitimam transiit peripneumoniam undecimo die lethalem. Aegrotus 11) fuit 50 annorum mania affectus, cui hanc mixturam aceti propinavit: Recipe camphor. vnc. j (*) facchar. canar. mucilag. gumm. arab. ad vnc. j. his simul in mortar. vitr. trit. add. acet. calid. vnc. dimid. aqu. flor. sambuc. vnc. vj. syrup. flor. rhoead. vnc. j., quae cochleatim tota sumenda intra biduum et sic pergendum. Aeger sesqui mensis spatio conualuit. 12) Ultimo de aegrota morbo vermino complicito cum vomica pulmonum et febre

(*) Nos quidem errorem typographicum hic inuenire putamus et drachmam unam aut dimidiam sufficere, quia non soluitur, et Cl. LOCHERUS, qui commenoratur a Nostro et acetum in mania laudat, ad totidem soluenda drachmam tantum dimidiam camphorae sumit, cuius caeterum formula cum hac plane conuenit. v. Commentar. nostr. Vol. XII. p. 32.

bre tertiana duplici cum diarrhoea biliosa laborante agitur. Vbi Cl. Auctor cum **VALLISNERIO** vermem latum esse catenam vermium cucurbitinorum arbitratur.

Curationes alias, mercurio corrodente peractas, quae sequuntur, iam mittamus, prius de historia aliquot curationum, eodem perfectarum, mantillae loco adiecta, quaedam exposituri. Quem ordinem ideo sequi posse confidimus, quia haec ante nouem annos a Cl. **BONAE** conscripta, in lucem edita, octies recusa et ob argumenti affinitatem, emendatior vero, denuo huc traducta est, varias propositiones continens praemissas, quibus illae obseruationes confirmantur. Litteris itaque Ill. **VAN SWIETEN** lectis, usus est Auctor Cl. ad mercurium corrosuum solendum spiritu vini, quia frumenti spiritus ibi non facile inuenitur et obseruauit, granum unum melius solvi in duabus spiritus vini vnciis, quam aquae, cui tamen eandem vim mercurii indolem venenatam infringendi et corrigendi tribuit, quam spiritui vini. Atque sic pro sex portionibus dedit, duas nimirum quotidie, mane et vesperi, cum decocto hordei; interdum auxit quoque dosin, ita ut sesquigranum de die aegro propinatum sit. Diebus primis Cl. Auctor ut plurimum alui deiectionem, postea vrinam vel sudorem copiosiorem obseruauit. Quod ptyalismus hac mixtura nunquam vel rarissime oriatur, videtur in parca eius dosi posita esse caussa. **CARTHUSERVM** aliosque, qui illud remedium reiecerunt, refutat, eius praestantiam et utilitatem defendit et ex nouem obseruationibus demonstrat: primis diebus a suinto sublimato, vel dolores nouos variis in locis excitari, vel consuetos exasperari; interdum aluo praegressa liquida, aluum cogi et ita ut stipticum et robورans agere; non desperandum esse de curatione, effectu non statim apparente aut

morbo incremente; coeli et tempestatis varietatem non parum posse ad effectum medicamenti mutationem; vim remedii, quae excretiones promouet, pro varia aegroti constitutione varie determinari; sanguinis missionem ante curationem institutam iuvare, ut excretiones promptius contingant; sputum leuius nullius momenti esse; febrem, sitim, dolorem capitis ad medicamenti effectus pertinere, si primis diebus minori dosi, non adiecto syrupo violarum et omisso decocto hordei, datur, quod periculum fecit Cl. BONA, postea vero, maiori dosi etiam data, eadem non amplius obseruari; siccis et calidis corporibus ex aqua liquatum, addendo pauculum syrapi violacei, melius conuenire, quam ex vini spiritu; valentius utiliusque esse remedium sublimatum, quam inunctionem, et tandem valere etiam in aliis morbis, vti vir, per oinna membra doloribus rheumatico-arthriticis, a frigore post corporis incandescentiam ortis, affectus et febre correptus, aliis remediis frustra adhibitis, mercurio corrosiuo curatus est.

p. 89. Tandem quaedam de nuperrimis Cl. BONAE curationibus, mercurio corrosiuo peractis, exponamus. Priusquam ille propinatur, magni facit præparationem aegri per venaelectionem, balnea emollientia et decocta radicum, addito lacte. Quibus enim praemissis, minorem mercurii dosin ad curationem sufficere, immo nonnullos mercurio, qui ita non curari potuerunt, forsan curatos esse, instituta præparatione, opinatur. Ex aegrorum duodecim historiis iisque additis scholiis confirmatur, miasma venereum per plures annos quandoque late-re, donec in motum cieatur, vlcuscula glandis apparentia et euanescentia confirmatae luis signum esse pathognomonicum; luem venereum nunquam a natura, sed a specificis remediis curari; recentem morbum cito curari; sanguinem e vena aegrorum, lue

Iue affectorum, missum, semper crusta plus minusue
 crassa obductum, eamque crustam inter signa certio-
 ra luis esse ponendam, siue sanguis iterum missus
 molliorem tenuioremque crustam non habeat, diffi-
 ciliorem fore curationem, ideoque maiorem subli-
 mati quantitatem requiri. Phlebotomiam ab initio
 semper necessariam putat et in iis, qui ex neruis la-
 borant et quibus maior humorum acrimonia, quam
 visciditas est, quum nerui ab acri remedio, quale
 sublimatus est, laederentur, tutius inunctionem adhi-
 beri aegrotus quintus docet, qua si non penitus sanetur
 aeger, iuuat sinere, naturam interim analepticis in-
 staurando, donec morbus curationi opportunior
 euadat. Si aegri, sumta mercurii sublimati quanti-
 tate, melius se non habent, iuuat, in iis rursus bal-
 nea adhibere, quia fortasse lymphae visciditas tanta
 est, vt a balneis et decoctis non satis attenuata, mer-
 curii vi obstare possit. Eadem ex caussa etiam ptya-
 lismum interdum oriri fatetur copiosum. Bubones
 cito suppurari diutiusque apertos seruari vult. Ob-
 seruauit porro, modicum saliuae fluxum et vrinae
 copiam esse media, per quae mercurius, sibi relictus,
 miasma venereum vt plurimum eliminat; sublima-
 tum tuto grauidis propinari; difficilem vero cura-
 tionem praesagiri debere, si miasma venereum mo-
 tum muscularerum infirmat, quia signum est, illud
 lympham membranae cellularis neruorum inquinasse,
 ad quam vix medicamenta ex mercurio peruenire pos-
 sunt. Inter diuersas venereis morbis medendi me-
 thodos inunctionem secundum methodum Monspe-
 liensem aliquaque VTHENII et mercurio corrosivo
 peragendam excellere, horum vero auxiliorum aliud
 alii corpori et gradui morbi conuenire putat. De
 praeparationis methodo, de vario decoctorum et la-
 ctis vsu nonnulla monet. Porri venerei, qui sunt
 neruearum papillarum productiones, erofo a mias-

mate epithelio, quo firmantur, ex crescunt cum dolore, inflammantur, quandoque indurantur et carcinomatis naturam induunt. Erumpentes luem adesse testantur, hinc mercurio curantur. Nonnullis adhuc de curatione venerei morbi in vniuersum et de actione et vsu mercurii viui in eodem expositis, naturam miasmatis nos latere affirmat Cl. Aucto^r, nonnulla de cauſa ptyalismi a mercurio excitati et de periculis, eum consequentibus, profert, atque tutionem methodum in mercurio corrosiuo inueniendam praedicat.

X.

De osteosteatomate, dissertatio inauguralis d. X.
aprilis 1767 proposita a M. IOANNE GOTTHELF HERRMANN, Chemnicensi Misnico,
Med. Bacc. Lipsiae, ex officina Breitkopfia,
4. mai. pl. 7¹. tab. aen. 5.

Haec dissertatio de osteosteatomate, quam nunc indicamus, ob argumenti dignitatem, ob elegantem iconum diligentiam, atque ob studiosam a Cl. Auctore adhibitam operam, commendationem nostram omnino meretur. Is post breuem descriptionem fabricae ossium et genesis exostosum, peculiare considerat tumoris, ad ossa nati, genus, osteosteatoma dictum, quod, inter exostosin veram et spuriam medium quasi locum tenens, praeter substantiam osseam, copiosam quoque continet materiam spissam, sebaceam, fibris tendinosis et cartilaginosis refertam ac plerumque ad ossa, ope cartilaginis ligamentosae coniuncta, post violentam eorum diductionem nascitur. Diuidit vero hanc disputationem in duas partes, ac in priore disquirit nexus ossium ope cartilaginis ligamentosae et genesis particulatum

rum ossarum huius cartilaginis diiudicat, caussaque diductionis ossium examinat ac docet, interdum exostoses benignas ad vertebrae, interdum abscessus gigni, vti ex plurimis obseruationibus adiecit patet. Sequuntur deinde duae osteosteatomatis historiae, tandem differentia eius ex plurium exostosum, osteosteatomati simili, comparatione ostendit. In altera parte examinat Cl. Auctor caussas osteosteatomatis, eius symptomata, incrementum, genesis et internam indolem, cariem ossium, inde natam, diagnosin, prognosin, indicationes curatorias in principio huius morbi et in eius augmento, tandem addit indicationes symptomaticas. Ex his praecipua tantum enarremus.

Nexus corporum vertebrarum perficitur carti-^{p. 6.}
lagine ligamentosa, stratis nimirum fibrarum, quae
varia directione decussantur, in quorum interstitiis
haeret gelatina solida quasi et consistens, ac in me-
dio nucleus gelatinoso cartilagineus; ossa pelvis
neuntur et cartilagine, quae ad ligamenti naturam
accedit, et villis quasi ligamentosis ac robustis; os
vero pubis commissura cartilaginea unitur, quae an-
nulum sicut ligamentosum et spatium intermedium
repletur substantia ligamentosa. Haec autem car-
tilago intervertebralis, quamquam in senibus inter-
dum coalescit, hoc tamen in margine per exostoses
exortas, nunquam vero in media parte cartilaginis
densioris fit. Litem, vtrum ossa pelvis in grauidita-^{p. 12.}
te et partu diducantur, nec ne? non componere
audet Cl. Auctor, cum nemo adhuc, blandam exten-
sionem et successuam contractionem ossium pelvis
locum habere ostendit. Haec vero ossium diductio
interdum efficitur nisi maiore in mouendis corpo-
ribus nimis ponderosis. Crustas osseas et exostoses ^{p. 14.}
veras benignas interdum in corporibus vertebrarum,
ex earum cartilaginibus interosseis diductis, gigni,

- p. 18. demonstrat Cl. Auctor tribus specimenibus spinarum dorsi senilium, quas ex egregio museo ossium morborum Cl. LUDWIGII deprompsit atque hic accurate descripsit. Eandem vero laesione cartilagineis interosseae vertebrarum interdum, vel in sanis hominibus, ob difficilem resorptionem humoris extrauasati ac tensionem contextus cellulosi, multoque facilius in cacockymicis, abscessus latentes, cum carie coniunctos, excitare, variis obseruationibus, hinc inde collectis, ac in primis historia morbi BREUERI, Celeb. quondam Chirurgi Lipsiensis, qui abscessu latente spinae dorsi et carie corporum vertebrarum periiit, maximopere confirmatur. A simili tandem cauſa, distensione nimis violenta ossium, cartilagine ligamentosa iunctorum, interdum osteosteatoma procreari posse, duae historiae morborum abunde docent, quae, quod rariores sunt, breuiter indicari mereantur.
- p. 22. p. 24. Prior enarrat, Gorlicii virum viginti septem annorum conuestum esse de dolore insigni ad suram cruris sinistri, qui sensim totum crus ac femur occupasset ac noctu in primis molestus fuisset, in inguine vero sinistro sensim eminuisse tumorem durum, renitentem ac lente increcentem, donec in duorum annorum spatio aeger febre lenta confectus sit. Cuius cadaveris abdomine dissecto, apparuisse tumorem enormem, sebaceum, protuberantius cartilagineis refertum, quo inciso, tres mensuras liquoris ferosi flavi emanasse, neque tamen hinc imminutum fuisse eius volumen. Adhaesisse vero hunc tumorem in primis corporibus tertiae, quartae, quintae vertebrae lumborum ac tribus superioribus partibus ossis sacri. In media eius parte adfuisse cavitatem, ibique substantiam tumoris magis tendinosam et ad spinam dorsi plane osseam repartam esse, ac pondus totius osteosteatomatis triginta circiter libras aequasse.

Posterior

Posterior historia morbi, a Cl. LUDWIGIO obseruata et communicata, notatu multo magis digna est et Cl. Auctori occasionem ad hanc dissertationem edendam suppeditauit, cum, iconibus elegantissimis adiectis, omnes mutationes ob oculos poni potuerint. Accidit Lipsiae, ut vir quadragenarius, eistam, p. 27. libris plenam, ponderosam mouens, statim dolore ad regionem ossis sacri afficeretur, ibique sensim tumor durus enasceretur. Aeger interea incuruato paullulum corpore incedens, negotiis tamen suis vacans, negligebat consilia medicorum, qui dissuadebant, ne tumorem discutientibus et emollientibus remediis externis turbaret, sed his, ex medicastrorum consilio, tumori applicatis, abscessum inducebat, qui, cum eum nemo incidere tentaret, sponte rupit, effluxitque sanies et grumosa materia, tandemque aeger febre lenta periit. Dissecto cadaueris abdomine, tumor vteri grauidi instar eminebat, ad quem melius disquirendum, soluebantur femora ex acetabulis, et vertebra lumborum tertia simul separata, ossa coxarum cum tumore integumentis denudabantur, et patuit, cartilaginem ligamentosam ossis sacri et ilci sinistri partim tantopere excreuisse, partim callosam factam esse, striis osseis vbique interspersis. Radix tumoris erat ad nexus ossis sacri cum osse ileo sinistro. Dein- p. 30. de ostendit Cl. Auctor differentiam horum osteosteatomatum ab aliis exostosibus similibus, ex auctoribus collectis, quippe quae membranaceam quasi mas- sam, variis concretionibus osseis exterius obsitam, offerunt.

Altera pars disquirit caussas osteosteatomatis, p. 33. quae vel externae sunt, ictus, lapsus, percussio, nimia distensio, valida pressio, contusio, cet. vel internae, depfauata humorum indoles, peculiari cacochymia inquinatorum, v. c. rhachitide, lue venerea, spina ventosa. Hic autem inprimis nifus vehemens aegri, ci-

- p. 35. statim librorum mouentis, sola caufsa enati tumoris fuit. Symptomata eius praecipue sunt tensio partium vicinarum, dolor sensim increscens, laesio actionum partium, febris lenta cum corporis macie et tabe,
- p. 37. tandemque mors. Incrementum huius osteosteatomatis in primis declaratur ex adiecta tabula aenea prima, quae hunc tumorem in situ ac magnitudine naturali, in cavitate pelvis haerentem, a parte anteriori exhibet, quippe qui a tertia lumborum vertebra sinistrorum descendit, totam superficiem anteriores ossis ilei sinistri, totumque os sacrum obtegit et usque ad os ileum dextrum productus est. Tabula secunda ostendit huius tumoris faciem posteriorem, ossibus pelvis adhaerentem, a tertia enim vertebra lumborum, eminentia permagna subrotunda descendit, in lobos quasi diuisa et variis tuberculis obfita, quae usque ad os coccygis extenditur et cuius diameter perpendicularis $10\frac{1}{2}$ pollices, transuersalis $8\frac{3}{4}$ pollices aequat; in eius vero media parte aderat foramen, ubi tumor, emollientibus tractatus, sponte ruptus erat et sanie emiserat. Tabula tertia, viuis coloribus illustrata, eius genesin et internam indolem explicat, eiusque figura prima fistit portionem tumoris recentis ab anteriori eius parte in cavitate pelvis sita, desumptam, ac ostendit variam materiam, in hoc tumore haerentem, aliam scilicet densam et quasi membranaceam, aliam pinguedini condensatae similem, albam, succulentam, ceu areas fistit, in quarum interstitiis haeret alia mellea, qualis in atheromate esse solet, atque moleculae osseae hinc illinc interspersae sunt, quae quidem in eadem portione osteosteatomatis exsiccata, quam figura secunda exhibet, melius ac distinctius conspicuntur. Ipsam vero cariem ossium pelvis cum hoc tumore coniunctam fuisse, manifeste declarat tabula quarta, utpote quae ostendit, laminam osseam internam sinistri ossis ilei

ilei superficie valde esse destruetam et diploen variis excrementiis osseis eleuatam, os ileum vero ad finem cristae maxime depresso ac tenuissimum; os sacrum, in cuius nexu cum illo sinistro hiatus insignis, diductionem horum ossium prodit, ad medium fere partem vna cum osse coccygis destruetum est ac variis excrementiis osseis refertum. Similes laesiones ossium peluis deprehendimus in tabula quinta, in eorum facie posteriori; ibi enim non solum processus articulares sinistri et spinosus vertebrae ultimae lumborum, sed posterior etiam pars ossis ilei sinistri, pars apophysis spinosae primae vertebrae ossis sacri et reliquae eius apophyses vna cum osse coccygis destruetae sunt; praeterea in toto osse sacro multae excrementiae osseae irregulares apparent. Omnes has tabulas ad naturam accuratissime delineauit Cl. REICHEL, qui, vt aliis pluribus, sic in primis his iconibus suam insignem peritiam delineandi prodidit.

Diagnosis osteosteatomatis, profecto vix prius p. 44. explorata est, quam si hic tumor increscendo ad integumenta progreditur, vel alias partes ex naturali situ depellit, atque tum digitis disquiri potest. Pro p. 46. gnosis initio huius morbi vix certa habetur, hic vero tumor, si iam tantopere increuit, vt digitis tangi possit, vix amplius coercetur, sed cum ipsius corporis decremento ulterius augetur et tristem prognosin habet, quo multo tristior est, si iste tumor partes minus nobiles tangat, cum ita lente crescat, salvis praecipuis actionibus corporis, donec, aucta partium vicinarum compressione, dyscrasia humorum, sensim euoluta, lentam mortem inducat. In principio huius morbi eo in primis respiciant indicationes curatoria, vt praeter aptam diaetam, suadeatur quies corporis in primis membra laesi, quod, si fieri possit, fasciis muniatur et aeger per aliquod tempus in lecto se detineat; adhibeantur simul medicamenta

robورantia externa et interna, v. c. frictio partis lae-
sae, fomenta et cataplasmata; cortex Peruuianus et
martialia; victus sit tenuis, potus diluens ex lacte
et iusculis cum herbis resoluentibus, animus sit tran-
quillus. In ulteriori progressu morbi varia contra-
indicantia hanc methodum medendi difficiliorem
reddunt. In abscessu quidem pus emollientium usu
ad partes externas duci solet, in hoc vero tumore
eorum usus plane est reiiciendus, quippe qui eius
incrementum accelerat; nec magis prosunt medica-
menta discutientia, emollientibus adiuncta, cum caco-
chymiam inducent; nec resoluentia interna, tumoris
enim incrementum accelerant, nec aegris modo eu-
cuantia, modo robورantia medicamenta propinuen-
tur, cum partim humores tenues nimis expellant,
partim eorum resolutionem non satis coercent.
Ipso vero extirpatione osteosteatomatis vix unquam lo-
cum habet, nisi id forte apto loco inhaereat. Sem-
per itaque lethalis exitus huius morbi est timendus,
nec internis, nec externis remediis boni quid effici
potest. Quamuis vero insanabilis sit hic morbus,
medici tamen est, ut symptomata grauiora interdum
leniat, dolorem scilicet ac tensiones nonnunquam
nimis molestas, quae emollientibus externis, cum pul-
vere herbae hyoscyami mixtis, sopiri solent, ut et
antispasmodicis internis vel medicamentis opiatis.
p. 55. Sub finem adiiciuntur iconum explicationes.

Spicilegia zoologica, quibus nouae in primis et
obscuræ animalium species iconibus, descri-
ptionibus atque commentariis illustrantur,
cura P. S. PALLAS, Med. Doct. acad. Caes.
nat. cur. et societ. reg. angl. sodalis. Berolini
apud Gottl. Aug. Lange 1767. fascic. I. pl.
 $5\frac{1}{2}$. tab. aen. 3. fascic. II. pl. 4. tab. 3. fascic. III.
pl. $4\frac{1}{2}$. tab. 4. fascic. IV. pl. 3. tab. 3.

Singuli horum *spicilegiorum* fasciculi, ex Auctoris
Cl. consilio in praefatione declarato, continebunt
tres vel quatuor tabulas aeneas, totidemque aut plures
plagulas scripturae, ex quarum decuria iustum vo-
lumen orietur. Inferere vero his fasciculis Au-
ctor, patriae redditus; successiue constituit, plurima
ex iis, quae in *miscellaneis zoologicis*, in Belgio ab eo
editis, quae superius indicaimus *), continentur,
aucta tamen et emendata, aliisque iconibus accura-
tioribus illustrata. Fatendum tamen est, nonnullas
ex figuris, his *spicilegiis* insertis, licet accuratiore
sint, tamen minus quoque elegantiores esse iis, quae
in miscellaneis deprehenduntur.

In *fasciculo* primo de *antilopibus* primo generatim p. 1.
exponit Cl. Auctor, eaque, quae de hoc genere in
miscellaneis **) disputauit, aucta et emendata hic sistit.
Hoc in primis de speciebus *antiloparum* valet, qua- p. 6.
rum sedecim enumerat, obscuris nonnullis ad finem
additis, non sub hoc numero comprehensis. Ex his
cornua ad modum caprinorum compressissima et
versus dorsum arcuata habet species 1) *leucophaea*,
siue *capra coerulea* KOLBI, *Kob* BUFFONII: cor-
nua erecta vncini in modum recurvata 2) *rupica-*
pra,

*) Vid. volumen hoc Parte II. p. 238.

**) Vid. *miscell. zoolog.* p. 1. et Comment. l. c. p. 238 seq.

pra, quam ab ilice differre, contra **BVFFONVM** docet. Sola haec europaea frigorisque patiens est. Cornua in frontem reduncula gerunt: 3) *dama* (*nanguer* **BVFF.**) quae *dama* antiquorum est: 4) *redunca* (*nagor* **BVFF.**) et 5) *tragocamelus*, paradoxum plane animal, quod **PARSON** in *Transact. philosoph.* Vol. XLIII descriptisit. Cornubus in lyrae antiquae formam tortuosis sunt, 6) *scythica* (*capra taratica* **LINN.** *ilex imberbis* **G MELINI**, *saiga* **BVFF.**) quae cornubus fluorescentibus subdiaphanis instruitur, cum reliquae huius generis species nigra cornua habeant: 7) *pygargus* (*tzeiran* **BVFF.**) 8) *dorcas* (*gazella* **EIVSD.**) 9) *kevella* (*kevel* **EIVSD.**) et 10) *bubalis* (*vache de barbarie*, vulgo *bubale* **BVFF.** an *capra dorcas* **LINN.?**) animal formae minus elegantis quam congeneres, mite, capite caudaque longiore instructum, quibus bouinum fere habitum acquirit. Recta et rugosa cornua gerunt 11) *bezoartica* (*pasan* **BVFF.** *capra gazella* **LINN.**) cuius varietates *algazel* **BVFF.** et *capra bezoartica* **LINN.** ex Nostri mente sunt et 12) *grimmia* (*moschus grimmia* **L.**) quae in *miscellaneis zoologicis* Cl. Auctoris et in hoc ipso *spicilegiorum* fasciculo describitur. Recta et veluti manu torta habent cornua 13) *scripta* (*guib* **BVFF.**) et 14) *oryx* (*condou* **BVFF.**): tandemque spiralia 15) *strepficeros* (*condoma* **BVFF.**) et 16) *ceruicapra* (*capra ceruicapra* **L.** *antilope* **BVFF.**) cuius vbe-
rior descriptio huic quoque fasciculo inserta est,
p. 19. ostendunt. Habitat vero haec ultima species in India et Africa, atque in theriotropheo principis Auraci grex earum asseruatur, quae ibi prolem educunt. Habitus fere *damae* nostratis est. Cornua mas tantum gerit et quidem nigra, paulo supra oculos in vertice erecto diuergentia, subulata, spiraliter tortuosa, apice laevia, rugis annulata, quas futura longitudinalis interrumpit atque connectit. Color se-
cundum

cundum aetatem et sexum variat. Femina e griseo fuluescit aut in collo canescit. Mares primis annis eodem fere colore sunt, aetate vero sensim nigrescunt. Addita est huius quoque animalis ana-p. 32. tome. Altera, quae hic describitur *antilopum, grim* p. 38. *mia* est, de qua olim Auctor Cl. iam in *miscellaneis* *) egit.

Secundi fasciculi initium descriptio apri aethiopi-p. 1. *ci* **) facit, de quo iis, quae superius monuimus, tantum addimus, animal hoc coitum cum *scrofa europaea* et *indica* plane recusasse et haec animalia necasse. De dentibus generis suilli, occasione dentium p. 9. huius animalis, differitur, cum dentes primores plane in eo deficiant. Ii vero in diuersis speciebus insigniter numero differunt. Nam in *sue babyrussa* et *taiacu* superius 4 inferius 6: in *apro nosirate* vtrinque 6: in *domestico* vero saepius supra 4 infra 8 reperiuntur. Forma vero et situs ad constituendum characterem sufficerent, nisi plenarius eorum defectus in *apro aethiopico* id prohiberet. Alterum animal, cuius p. 16. historia in hoc fasciculo continetur, *cauia* est *capensis*, quam, cum in *miscellaneis* ***) iam de eo animali dictum sit, indicasse tantum sufficiat.

In *tertio fasciculo* primum de *vespertilionibus* in p. 1. vniuersum Cl. PALLAS exponit et differentias dentium in diuersis speciebus fusius explicat ****). Prae-p. 24. ter *vespertilionis soricini* descriptionem, quae iam in *miscellaneis* data est, alia species, quam *vespertilionis cephalotae* nomine Noster insignit, ob capitis magnitudinem et formam insolitam, hic fusius delineatur. Paulo minor ea est, quam *vespertilio spasma*: caput p. 10. grande, buccatum, rostrumque crassum, retusum sub-
tus

*) Vid. ibid. p. 12. et Comment. l. c. p. 240.

**) *Miscell.* p. 16. *Comment.* l. c.

***) *Misc.* p. 30. *Comment.* l. c. p. 241.

****) Vid. *Miscell.* p. 48. *Comment.* l. c. p. 242.

tus plano productum habet. Superius labium sulco bipartitur: nares vero distantes, tubulofae et divergentes sunt, tubulis cartilagineis, compressissimis, posteriore latere incisis, incisurae margine interiore inuoluto, ut conchoidei quasi appareant: auriculae minores: cauda brevior et interfemoralis membrana in medio excisa est, tantumque a tarsis incipit, cum ea, quae ab aliis oritur, ad digitos usque descendat.

- Quartus fasciculus* avium nonnullarum descriptiones continet et primo quidem Author Cl. de *psophia crepitante LINN.* seu *grue psophia* differit, de qua iam in miscellaneis*) exposuit, cuius avis hic elegantior figura exstat. Deinde de *numidis* siue *meleagridibus* graecorum exponit, docetque primum, *meleagridum* nomen, quod apud veteres auctores occurrit, non vti ex recentioribus KLEINIVS et LINNAEVS fecerunt, *gallopauonum* generi, ex America oriundo, applicari posse, sed ad *numidas* LINN. quae in Africa habitant, pertinere. Deinde duas nouas *vulgari* siue *galeata* specie plane diuersas describit, quae in viuariis Belgicis occurrunt, *numidam* scilicet *cristatam* et *mitralem*. Prior *vulgari* minor est, palearia nulla habet, sed plica tantum ad angulos oris longitudinali instruitur. Caput nudum: corolla frontis larga e plumis confertis atris, angulusque, plumulis obsitus, a corolla versus narium interuallum procurrit. Posterior staturam *vulgaris* habet, galeaque verticis conica minore instruitur. Vertex totus et ambitus rostri rubri coloris: oris anguli ligula longiuscula, linearia acuta, apice rubra, utrinque dependentes: sub gula palear longitudinale semiouale, quo ad *meleagrides* LINN. siue *gallopauones* accedit: colli superior pars nuda, coerulescens. Addita est huic fasciculo obseruatio de *gallinis* vertice tuberosis: Vti
- in
- p. 1. p. 10. p. 15. p. 18. p. 20.

*) Vid. *ibid.* p. 266. et *Comment.* p. 243.

in pluribus aubus domesticis eiusmodi *cristac* siue *tophi plumacei* occurunt, ita maxime in gallinaceo genere reperiuntur, in quo, in primis in feminis, generationum successu, morbus ille haereditarius ita augetur, ut cranii tuber tandem foraminulis multis pertusum et carie quasi excisum sit, cuius cauum luxuriantis cerebri productio replete. Gallinae vero omnes, in quibus hoc deprehenditur, stupidae sunt; nec longaeuae, quod satis morbosum illud esse vitium probat.

De *quinto et sexto horum spicilegiorum fasciculo*, quibus primus tomus eorum completur, quos Cl. Auctoꝝ ante iter, iussu Imperatricis Russiae suscep̄tuni, ad finem perduxit et qui demum anno huius saeculi sexagesimo nono publicati sunt, alio loco dicemus.

XII.

Philosophical Transactions, giving some Account of the present Undertakings, Studies, and Labours, of the Ingenious, in many considerable Parts of the World. Vol. LVI. For the year 1766. London, printed for L. Davis and C. Reymers, 1767. 4. Alph. I. plag. 20. tab. aen. 17.

i. e.

Transactiones philosophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus novissime susceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LVI. ad annum 1766.

i) **O**bseruationes eclipsis solaris, die 16 aug. 1765 fa- p. 1.
cta in obseruatorio Marchionis DE COUR-
TENVAUX, Columbino sito prope Lutetias Parisio-
rum, 5° 13, 8" ab obseruatorio regio versus boream, et
20" $\frac{1}{3}$

20" $\frac{1}{3}$ temporis versus ortum, a Cl. MESSIER, ex gallico idiomate translatae a Cl. MATTH. MATY.

p. 4. 2) Adnotaciones ad inscriptionem Teivensem, Palmyrenorum lingua scriptam, in litteris Cl. JOHN SWINTON ad Cl. THOM. BIRCH.

p. 10. 3) Epistola Cl. DAN. PET. LAYARD ad Cl. WILL. HEBERDEN, sistens relationem de aqua Somershamensi in Comitatu Huntingdonensi, ac referens litteras Cl. MICH. MORRIS ad Cl. LAYARD de eadem re. Est aqua mineralis, cuius fons ex arena et argilla protruditur, deponit ochram et stagnans obtegitur cuticula varii coloris; frigida est, sapore adstringente atque austero. Ex 24 experimentis chemicis cognouit Cl. Auctor, acidulas has Somershamenses continere martem, pyritem solutum, acidum vitriolicum, terram calcaream, ochram, selenitem, sal muriaticum et alumem, ac sistere aquam martialem, valde impraegnatam vitriolo martis et alumine. Calculi humani, ei immissi, dissoluuntur. In vniuersum autem sanguini bene admiscetur et vim diureticam exferit. Litterae Cl. MORRIS sistunt experimenta sex, cum eadem aqua instituta, quibus detexit, hanc aquam continere martem, selenitem, alumem, sal marinum cum paucō alumine et vitriolo, sub forma aquae magistrae aluminis et vitrioli, quae crystallisationem non permittit. Ob alumem itaque, quod ex hac aqua Auctor Cl. obtinuit, ab omnibus aquis mineralibus Britannicis differt. Vim vero medicam tribuit Cl. Auctor in primis alumini, cuius satis magna copia inesse videtur.

p. 27. 4) Relatio de nummo Imperatricis Crispinae, nondum diuulgato, in litteris Cl. JOHN SWINTON ad Cl. THOM. BIRCH.

5) Ob-

5) *Obseruatio deliquii solaris die 16 aug. 1765.* p. 30.
Lugduni Batauorum a Cl. LULOF S facta ac perscripta
ad Cl. CAR. MORTON.

6) *Litterae Cl. JAMES PARSONS ad Ill. Co-* p. 32.
mitem DE MORTON de cornu rhinocerotis duplice.
Erat a rhinocerote Africano ex Capite Bonae Spei
allatum; altitudo perpendicularis cornu anterioris
aequabat 18 pollices, ambitus baseos 21 $\frac{1}{2}$ pollices, al-
titudo perpendicularis posterioris cornu 19 $\frac{1}{2}$ poll.
ambitus 18 poll. Longitudo vtriusque baseos ad ossa
nasi 14 poll. pondus vtriusque cornu 14 libras et vn-
cias 10 aequabat. Aetas rhinocerotis, vti ex compa-
ratione cum aliis ossibus rhinocerotis appetet, circi-
ter 20 annorum fuit. Haec obseruatio probat, ani-
malia huius generis duplici cornu instructa, in Africa
saepius occurere, neque MARTIALEM poëtam
taxandum esse erroris, quod rhinoceroti geminum
*cornu tribuerit *).*

7) *Excerptum duarum epistolarum, die 7 et 12 dec. p. 35.*
1765 scriptarum a Cl. WILLIAM BORLASE, Lud-
guani in Cornubia commorante, ad Cl. E. M. DA CO-
STA. Stannum natuum genuinum, ad hunc usque
*diem a nullo mineralogo visum, Cl. BORLASE, *histo-**

riae naturalis Cornubiae, de qua in supplementis di-

ximus **), Auctor, nunc demum in Cornubia inuen-

tum, hic describit. Mense maio anni 1765 in cu-

mulo

*) De rhinocerote bicorni LINN. vide b. KLEIN *qua-*
druped. dispos. p. 29. qui duo eiusmodi cornua descri-
bit. Conf. Cl. I. P. EBERHARD *Thiergeschichte*,
Halae 1768. 8. p. 273. et Tab. II. fig. 1. et 2.

**) Vide Comment. nostr. Suppl. IV. Dec. I. p. 722. De
fodina vero stanni prope St. Austle reperiunda Cl.
BORLASE libro citato p. 163. fusius differit.

mulo medio, fragmentorum minerarum stanni (*stream work*) qui non longe ab urbe St. Austle in Cornubia reperitur, in profunditate 5 pedum sub terrae superficie, gleba aliqua inuenta est, pondere sex librarum. Haec diffracta, duplice sistebat incrustationem, quae nucleus circumdabat stanni purissimi, cui substantia quaedam quarzo similis (quam tamen experimenta inferius no. 39 cominemoranda, arsenicum esse probant) admixta erat. Exterior crusta $\frac{1}{8}$ pollicis crassitatem aequabat coloremque fuscum stramineum habebat. Interior magis nigrescebat, maculis albescientibus interspersis et $\frac{1}{3}$ pollicis crassa erat. Crustae illae tertiam includebant substantiam, crystallis lamellosis tenuibus compositam, quae ex parte aliqua, stanno liquefacto simili, oriebantur et cellulas formabant, in quibus varia grana stanni purissimi conspiciebantur. In alio fragmento eiusdem glebae, quod Auctor Cl. a Cl. ROSEWARNE, qui in urbe Truro fundendarum minerarum curam gerit, accepit, stannum purum, foliaceum, ex substantia quarzo simili eminebat. Tantam vero copiam stanni in viiuersum haec gleba continebat, ut, nullo fluxu addito, liqueficeret et 20 unciae glebae 12 uncias stanni continerent. In alia eiusmodi coagmentatione minerarum stanni (*stream work*), quae prope Grampond est, mense iulio eiusdem anni, gleba pondere 12 librarum inueniebatur, stannum solidum sistens, crusta tenuiore obductum, quae tamen facile a subiecto metallo secedebat. Quamquam vero experimenta, a Cl. DA COSTA subiecta, omnino ostendunt, stannum verum his glebis contineri; rationes tamen variae tum physicae, tum metallurgicae, nos adhuc dubios reddunt, vtrum glebae illae stannum natuum, i. e. a sola natura, non igne productum sint. Ipse enim Cl. BORLAUSE loco citato (p. 163) concedit, in eiusmodi locis, quales fodinae prope St. Austle et Gram-

et Grampond sunt, fragmenta stanni puri nonnunquam reperiri, a Iudeis, qui fodinas Cornubiae sub initio seculi decimi tertii coluerunt, olim eliquata, aquarum vi in superficie sua quodammodo exesa et crusta rubiginosa tecta. Cum qua crusta substantiam, quae nucleos stanni puri includit, maxime convenire, ab amico, qui has glebas ipse apud Cl. BORLAUSE et ROSEWARNE anno 1765 mense augusto examinauit, accepimus, ita, ut omnino haec res vltiori examine digna iudicanda, mineralogique admونendi sint, ne glebas has, quae satis manifeste olim signis vi eliquatae fuerunt, vti Ill. LINNAEUS iam fecit *), stannum natuum esse autument, prius quam mineralogi meliores iis, quales vulgo in Cornubia periuntur, veritatem huius rei magis confirmaverint.

8) *Litterae Cl. EDWARD WORTLEY MONTEITH ad Cl. WILLIAM WATSON, quae continent relationem itineris sui a Cairo in Aegypto ad montes, scriptos vulgo dictos, deserti Sinai.* p. 40.

9) *De duobus cometis nouiter detectis in obseruato-* p. 57.
rio marino Parisensi a Cl. MESSIER, ex gallico idiomate translatum a Cl. MATTH. MATY.

10) *Litterae Cl. ALEXAND. BRICE ad Ill. CO- p. 66.*
mitem DE MORTON, quae cometam, ab ipso visum,
concernunt.

11) *Relatio, concernens globulos microscopicos, re-* p. 67.
giae societati a reu. Patre DI TORRE, Neapolitano,
donatos, atque ad examinandum Cl. BAKER traditi-
tos. De quatuor his globulis microscopicis, Vol.
ante-
II 2

*) *Syst. nat. ed. XII. T. IV. p. 236.*

antecedente *) memoratis, Cl. BAKER notat, eorum usum, licet mirifice res, ut dudum notum est amplificent, iam diu euiluisse. Cum enim focus eiusmodi globuli non nisi quarta parte diametri a superficie distet, admodum ingeniosis artificiis opus est, ad obseruandum per globulum diametri dimidi puncti Parisiensis, a cuius superficie res consideranda non remotius, quam in distantia $\frac{1}{44}$ parte digiti Parisiensis, ponenda: et inuentis illis artificiis quisque eorum, qui per eiusmodi globulos microscopicos obseruauit, fatebitur, obseruationes eiusmodi ob defectum luminis, nimis molestam oculorum intentionem, ac nimis arctum visionis campum, validas incertas esse et occasionem incautis ac imperitis praebere, coniecturas pro obseruationibus venditare. Hinc etiam in eorum locum lenticulae microscopicae substitutae sunt. Cl. BAKER Reu. TORRE quider laudibus prosequitur dexteritatem in conficiendis eiusmodi globulis, fateri tamen cogitur, se, licet omnem adhibuerit diligentiam, in obiectis ad eas obseruationes accommodatissimis, nihil distincti ac certi potuisse obseruare.

p. 72. 12) *De transitu Veneris per discum solis anno 176*
d. 6. iun. Auctore Cl. F. MALLET.

p. 92. 13) *De hepatitide cum symptomatibus malignis coniuncta atque curata, a Cl. ROBERT SMITH, chirurgo Edimburgensi. Mulier 26 annos dolore insigni lateris dextri sub costis spuriis una cum febre acuta affiebatur, sensimque oriebatur tumor hepatis et aegri deiectionibus maxime debilitabatur. Einollito tandem tumore, hunc incidit Cl. Auctor et materia purulenta et glutinosa, albumini cui similis, exiit, tertia ver-*
noe

*) Vid. Philos. Transact. Vol. LV. p. 246. sqq. Commer. nostr. Vol. XV. p. 71.

nocte aegra in delirium ac tussim enormem incidit, quapropter injectionibus emollientibus et antiputridis usus est, interneque corticem Peruvianum exhibuit. Licet vero horum remediorum usu bonum quis obtineret, nihilominus tamen interdum exiit e vulnera sanies copiosa, partes externas laedens. Post decem tandem hebdomadas, obseruata pristina medendi methodo, vulnus cicatrice clausum est et aegra usu pilularum mercurialium plane conualuit.

14) *Experimenta cum cortice Peruvianano instituta*, p. 95.
 a Cl. ARTHUR LEE. Describit hic Cl. Auctor 25 experimenta, e quibus praecipua tantum recenseamus. Infudit in vncias duas pulueris corticis Peruviani sesquilibram aquae destillatae, ac post 24 horas filtrauit et destillatione accepit liquorem limpidum colore ingrato flavo. Residuum continebat drachinam unam resinae et liquor porro euaporatus drachmas tres substantiae gummosae amarissimae; hinc concludit, infusum aquosum continere aromaticam corticis partem, paululum resinae et copiosum gummi. Residuum, spiritu vini extractum, dedit tinturam, quae aqua mixta depositus drachmas tres et grana 18 resinae; hinc apparet, corticem Peruvianum continere aromaticam partem, ab infuso aquoso calido extrahendam, gummosam aqua in primis solubilem, et resinosam spiritu vini soluendam. Tinctura ex vncia una corticis Peruviani et quatuor vnciis spiritus vini facta et filtrata sine pressione, duo grana resinae, filtrata cum pressione, grana sex continebat, quapropter pressionem in filtrandis tinturis commendat. Drachmae duae pulueris laminae externae corticis Peruviani in spiritu vini digestae, suppeditabant grana duo resinae, eadem vero quantitas laminae internae granum unum semis. E duabus tinturis corticis Peruviani, simili modo paratis, drachma una illius,

quae per duas horas erat digesta in balneo maris, tria continebat grana resinae, drachma autem una illius, quae per 24 horas in calore digesta erat, granum vnum; hinc commendat balneum maris ad tinturas fortiores reddendas. Drachma semis pulueris corticis Peruiani, infusa per 24 horas alcali volatili caustico, dedit tinturam, quae cum acidis non effervescebat. Aqua calcis cum puluere corticis Peruiani digesta, sublimatum corrosuum in solutione aquosa non praecipitabat. Puluis corticis Peruiani cum salis communis solutione infusus, colore purpureum accepit, saporem vero saltem retinuit. Tinctura corticis Peruiani cum aqua calcis mixta, resinam praecipitabat. Resina corticis Peruiani aqua calcis statim soluebatur et calx reducebatur. Infusa spirituosa vel aquosa, quae 24 tantum horas digeruntur, easdem vires extrahunt, quas infusa, per aliquot dies parata, continent.

p. 105. 15) *Nouorum quorumdam in re electrica experimentorum specimen, quod regiae Londinensi societati die 14 jan. 1766 mittebat Cl. IO. BAPT. BECCARIA.*

p. 119. 16) *Methodus proposita metiendi gradus longitudinis in parallelis aequatoris a Cl. I. MICHELL.*

p. 126. 17) *Observationes de ascaridibus et cucurbitinis et potissimum de taenia, tam humana, quam leporina a Cl. IO. PHILIP. DE LIMBOURG.* Cl. Auctor icones illustrat quatuor extremitates taeniarum, in leporis intestinis repertarum, ac varias partes taeniae humanae, vermes cucurbitinos et ascarides, atque continet, ascarides singularem fistulam speciem vermium; vermes cucurbitinos non veros esse vermes, nec ex his taeniam formari, sed potius fistula annulos taeniae separatos; taeniam saepe inueniri multiplicem, eius-

eiisque species multiplices et ex ouis, vna cum cibis vel aqua deglutitis, oriri.

18) *Relatio de hernia permagna, in litteris Cl. p. 133.*

GEORGE CARLISLE ad Ill. episcopum DE CARLISLE. Octogenarius laborabat hernia inguinali lateris dextri, quae sensim scrotum tantopere impletat, ut penis plane obtegeretur, ac interdum vrina eroderet tumorem; obiit tandem aeger. In eius sectione latitudo tumoris erat $17\frac{1}{2}$ poll. longitudo 15 poll. ambitus 34 poll. membrana dartos cartilagineam fere duritatem habebat. Aperto abdomen, apparuit hepar permagnum; ventriculus autem in situ haerebat longitudinali. Cardia nimirum iuxta lobum finistrum hepatis posita erat, pylorus autem, duodenum, ac reliqua intestina in sacco herniae latebant, praeter partem coli lateris finistri. Ductus choledochus, qui ad saccum descendebat, insignem longitudinem habebat et in ambitu aequabat $2\frac{1}{2}$ poll. Vesica in situ naturali erat ac sana. Testiculi maxime varicosi erant; intestina cum sacco herniae coalita; annulus abdominis tantopere extensus, ut manum reciperet, ipseque foccus herniae firmissimus erat.

19) *Tria schediasmata, quae concernunt experimenta p. 141.*
menta cum aëre factitio instituta a Cl. HENRY CAVENDISH. Primum notat Cl. Auctor, per aërem factitium hoc loco intelligi in genere certum aëris genus, in aliis corporibus in statu non elastico residentis, atque arte ab iis separati. Fixum vero aërem esse eam peculiarem speciem aëris factitii; quae ex substantiis alcalinis per solutionem in acidis, vel per calcinationem elicetur. Deinde methodos principes ac artificia describit, quibus aër ex corporibus separatur et tandem experimenta ipsa exhibet

et quidem schediasmate 1) ea, quae concernunt aërem inflammabilem ex zinco, ferro ac stanno per solutionem in acidis productum: 2) exhibit XVI experimenta cum aëre fixo instituta; in 3) tandem occurunt experimenta cum aëre, per fermentationem ac putrefactionem producto. Quae ommnia cum satis ingeniose excogitata sint, omnino ulteriorem physicorum attentionem merentur.

p. 184. 20) *Relatio ulterior de cocco Palonico* *) a Cl. WOLFE, *Warsouiensis*, communicata a Cl. HENRY BAKER. Cl. Auctor detexit marem huius insecti, eumque vna cum foemina, modo ex ouo eductos, ad naturam, eosdemque microscopio adductos ico-ne delineat, ac simul depinxit scleranthum perennem, calycibus clausis LINN., ad cuius radices hoc insectum in primis mense junio, iulio et augusto re-periri solet in Podolia ac Vkrania. Corpus et caput maris maculas purpureas fuscas habet, alae sunt albae, pellucidae, maculis opacis purpureis; color foeminae est purpureus fuscus.

p. 186. 21) *Relatio ulterior de iaculatore, pisce, cuius mentio facta est in transactionibus philosophicis anni 1764, art. XIV* **) a Cl. HOMMEL. in Batauvia, vna cum descriptione alias speciei, a Cl. PALLAS exarata, in litteris Cl. I. A. SCHLOSSER ad Cl. PET. COLLIN-
SON. Ad capienda insecta, iaculator caute se appropinquat obiecto, donec ei ex obliquo positus sit, tum fixis oculis persistens, nec os ex aqua emittens, guttam aquae eiicit, atque hinc insectum capit. Noua species hic delineata dicitur *sciaena iaculatrix*, *quinquemaculata*, *pinnis ventralibus adnatis*, *maxilla infere-*

(*) Vid. Philos. Transact. Vol. LIV. art. 15. p. 91. Commentar. nostr. Vol. XIV. p. 311.

**) Vid. Commentar. nostr. Vol. XIV. p. 310.

inferiore longiore et in India orientali non adeo rara est quam prior.

22) *Relatio de amphibio bipede a Cl. JOHN ELLIOTT p. 189.*
LIS ad societatem regiam. Singulare hoc animal, *siren lacertina* ab Ill. LINNAEO vocatur, qui, vti alio loco *) iam monuimus, illud academica dissertatione, Vpsaliae an. 1766 edita, descripsit et cum illud branchias et pulmones simul, pedesque brachiatos vnguiculatos habeat, singularem *amphibiorum* ordinem eius causa constituit **), *meantium* scilicet. Habitat vero illud in Carolinae australioris paludosis et ab incolis *Leguana paludosa* (mud - inguana) vocatur. Duo autem specimina hic delineantur et describuntur, quorum minus 9 pollicum, maius vero 31 pollicum longitudinem habet. Caput anguillae simile est, sed magis compressum, oculi parui, palpebris euidenter instruti. Os paruum est, palatum vero et maxilla inferior multiplici serie dentium satis acutorum instruuntur. Cutis nigra gelatinosa quasi, squamulis testa. In utroque corporis latere maculae albæ reperiuntur, lineaeque laterales albæ a pedibus ad caudæ extremum excurrunt. Pinna caudalis nullis radiis ossis instruitur, sed caudæ anguillæ similis est et magis adiposa. Opercula branchiarum dupliciter pennata sunt, quorum tria in quois latere numerantur et operculis branchiarum laruarum lacertarum similes sunt. Numerus orificiorum branchiarum, operculorum numero respondet. Hoc tamen animal non lacertæ alicuius laruam, sed declaratum animal esse, probant: pedum numerus, quorum duo tantum, digitis quatuor vnguiculatis instruti, parui, sub operculis branchiarum siti, numerantur, cum laruae la-

Ii 5.

certarum

*) Vid. Comment. nostr. Vol. XV. P. II. p. 329.

**) Vid. Syst. nat. Edit. XII. T. I. P. II. in addendis ad finem paginae 395.

certarum quatuor pedes habeant, digitosque muticos: deinde vox cantillans: et tandem magnitudo, qua omnes reliquas lacertas, in Carolina reperiundas, insigniter superat.

P. 193. 23) *Observationes de animalibus, quae ut plurimum ab auctoriis dicuntur amphibia, auctore Cl. PARSONS.* Reiicit Cl. Auctor vulgarem notionem amphibiorum, quae et in terra et in aqua simili modo viuere dicuntur, cum potius vel praecipuas functiones vitae in terra faciant et occasione tantum aquam petant, vel in primis aquam inhabitent et occasione tantum in terram se conferant; hinc aues aquaticae minime huc pertinent, quae tantum alimenta in aqua quaerunt. Classis phocarum victimum quidem sibi parat in aqua e piscibus, functiones autem vitales praecipuas, somnum, generationem, educationem pullorum, cet. in primis in terra exercet. Differentiam essentiali inter amphibia et animalia terrestria potissimum exhibit foramen ouale auricularum cordis, quod in illis nunquam, in his ut plurimum clauditur. Phocas praesertim in terra degere, demonstrat Cl. Auctor ex similitudine earum carnium cum carnibus animalium terrestrium, quae, si diu sub aqua versarentur, nimis relaxatae putre scerent. Cum vero foramen ouale cordis in phocis non clausum sit, quoniam mater pullum statim post partum aquam intrare docet, ad aliquod quidem tempus, dum sub aqua sunt, sanguis circulatur sine ingressu in pulmones, simulac vero in terram rediunt, denuo per pulmones ducitur. Viperae, castores, ratti, ranae, lacertae aquaticae, hippopotamus, testudo, semper praecipuas functiones vitales in terra suscipiunt. Reliqua amphibia, quae aquam inhabitant et modo interdum terram petunt, sunt anguillae et serpentes aquatici, quorum branchiae bene

bene obtecta sunt, ac muco copioso cutis satis defenduntur, ne arescant, nec circulatio sanguinis stagnet; reliqui vero pisces moriuntur, simulac branchiae arescant. Phocae autem veris pulmonibus respirant aërem et per aliquot horas extra aquam viuere valent.

24) *Relatio de peculiari commodo structurae asperae arteriae nonnullarum avium, atque testudinis terrestris, Auctore EODEM.* Considerat Cl. Auctor peculiarem structuram ac flexus asperae arteriae in cygno fero, grue, gallo indico, grue numidica atque testudine terrestri. In *cygno fero s. marino* *) descendit aspera arteria sub epiglottide vna cum oesophago usque ad 4 vel 5 pollices ab ultima vertebra colli, ubi oesophagus ad intestina progreditur, trachea vero, arcuatim ducta, iuxta ossa iugalia carinam sterni ingreditur et ad eius finem regreditur, arcum antrorum, sursum et retrorsum format, ac tandem cavitatem pectoris petit et in duo bronchia dividitur, quae ad pulmones ducunt. Usus longitudinis tracheae fortasse est longior retentio aëris inspirati, nam hic cygnus ferus victus quaerendi caussa saepe diutius sub aqua retinetur. In *grue* flebitur aspera arteria ad carinam sterni peculiari modo, qui vix describi, ex ictone vero adiecta satis intelligi potest, ac simili modo in bronchia mutatur, quam in *cygno fero*. Mirandum est, in congeneribus avibus, v. c. ciconiis, minime inueniri similem strueturam tracheae. In *gallo indico* descendit aspera arteria cum oesophago usque ad medium osseum iugulum, ampliatur, reficitur, arcum format, tandemque in bronchia mutata, in pulmones transit. Flexio asperae arteriae *gruis numidicae*

*) Apparet ex hac descriptione cygnum ferum non varietatem cygni vulgaris, sed diuersam speciem esse, cum in hoc aspera arteria recte procedat.

numidiae etiam peculiaris est, vt ex iconē apparet, eaque vario modo et retrorsum et anterorsum flectitur, donec in bronchia mutatur. In *testudine terrestris* descendit aspera arteria, ac mox dividitur in duos ramos, qui in utroque latere arcum circularem formant, ac tandem pulmones ingrediuntur. Usus eius esse videtur longior retentio aëris inspirati, vt animal ex arbitrio pulmones vel contrahere, vel expandere, atque hinc se in aqua mouere possit.

p. 216. 25) *Litterae Cl. WILL. MOUNTAGNE ad Ill. Comitem JAMES DE MORTON, quae fistunt nonnullas obseruationes variationum acūs magneticae, factas in naue annis 1760, 1761 et 1762 a Cl. DAV. ROSS, chirurgo.*

p. 224. 26) *Litterae ad praesidem societatis regiae, quae continent nouam methodum metiendi velocitatem venti, et experimentum cognoscendi, ad quamnam quantitatem aquae nix, modo delapsa, adscendat, a Cl. ALEX. BRICE.*

p. 229. 27) *Nonnullae obseruationes de regione fodinisque metallicis Hispaniae ac Germaniae, cum relatione de formatione smiridis. Auctore Cl. W. BOWLES, communicatae a Cl. P. COLLINSON. Describit montes Castiliae circa Reynosam, satis altos, ita ut vel auge mense niue adhuc tegantur. Summitates horum montium lapide arenario constant, calcareus vero et gypsum in declinioribus reperitur. Smiris vero oritur, si ferri materia fluida saxo arenario ita iungitur, ut singula grana arenas cum ea quasi crystallisentur. Fontes salvi etiam in satis excelsis locis reperiuntur, vti Cl. Auctor exemplo eorum, qui ad urbem Molinam sunt, probat. Vapores metallici venarum, sub terra reconditarum, fertilitatem soli, iis superimpositi, non destruunt, quod Auctor exemplo varia-*

variarum fodinarum Hispanicarum, nec non fodinarum St. Mariæ in Alsacia, Clausthalianarum et Bergensium probat.

28) *Commentarius de indole electrica turmalini*, p. 236.
auctore Cl. TORBERN BERGMAN. Primum Cl. Auctor turmalinos Ceylanenses ab academia scientiarum Stockholmensi acceptos, quoad figuram, colores atque polos describit, deinde experimentis, cum iis institutis, hanc legem fundamentalem constituit: *cuiusuis turmalini alterum polum dilatatione electricitatem acquirere positiuam, contractione negatiuam; alterum vero contrariam habere indolem, adeo, ut contractione fiat positius et dilatatione negatiuus;* et ex hac fundamentali propositione omnes, quotquot ipsi innotuerunt, proprietates electricas, turmalino in specie competentes, explicat, docetque, quo modo controversia, inter Cl. viros WILSONVM et AEPINV M, de turmalini phaenomenis electricis gesta, componenda fit.

29) *Theoria parallaxum altitudinum in hypothesi telluris sphaericae* a Cl. F. MALLE T, ex gallico in anglicum idioma translata a Cl. M. MATY.

30 a) *Catalogus 50 plantarum horti Chelseani, societati regiae exhibitarum a societate pharmacopaeorum in annum 1765, secundum institutum Ill. HANS SLOANE, per Cl. WILL. HUDSON.*

30 b) *Observationes eclipsis solaris die 5 Aug. p. 259. 1766, institutae in obseruatorio Marchionis DE COURTEVAUX Columbino, 20° versus occidentem ab obseruatorio regio Parifino et in lat. 48° 55' 28" a Cl. MESSIER, translatae a Cl. M. MATY.*

p. 262. 31) *Litterae Cel. Principis DE CROY ad Ill. Comitem DE MORTON, quae sistunt obseruationes eclipsium solarium diei 16 aug. 1765 et 5 aug. 1766 Calesii institutas, una cum nonnullis adnotacionibus in primam earum, quas ex gallico idiomate conuertit Cl. MATH. MATY.*

p. 268. 32) *Obseruatio deliquii solaris diei 5 aug. 1766 Calesii facta.*

p. 270. 33) *Relatio de extrausta parte ossis humeri, magnitudine 3 pollicum et 10 linearum, quae regenerata est materia ossea; cum descriptione machinae, quae inseruit ad retinendas partes superiores et inferiores ossis in situ apto, tempore regenerationis, quaeque etiam utilissima est in fracturis, ad collum humeri factis, a Cl. LE CAT ex gallico idiomate translata a Cl. I. O. IUSTA- MOND. Miles 41 annorum vulnerabatur globulo tormenti, duos pollices sub capite humeri sinistri, cum fractura ossis, ac post 7 menses sanatus esse videbatur. Post duros labores sibi deinde attraxit abscessum in humero antea fracto, atque eductis variis fragmentis osseis, tandem vulnus cicatrice claudebatur, relicta debilitate brachii. Paullo post a pleuritide restitutus, denuo abscessus humeri cum carie oriebatur; separauit itaque Cl. Auctor 3 pollices et 10 linearum ossis cariosi, cavitatem impleuit linteo carpto et formam brachii retinuit in longitudine naturali machina peculiari, duplii cochlea diuersae directionis instruxta, cuius icon hic additur, et post 5 menses natura plane restituerat partem resectam, ut usus plenarius brachii recuperaretur.*

p. 278. 34) *Litterae Cl. WARGENTIN ad Cl. MAS- KELYNE, quae continent tentamen nouae methodi determinandi longitudinem locorum, ex obseruationibus eclipsis satellitum Iouis.*

35) *Litterae Cl. JOHN ELLIS ad Ill. Praest.* p. 287.
 dem, de *Colubre Ceraste*, s. *vipera cornuta Aegyptiaca*.
 Hoc animal Aegyptiacum nondum inuenitur in mu-
 seis Europaeis, eiusque morsus maxime venenatus
 est. Caput ad cornua valde depresso est, posterior
 pars multo crassior collo, rostrum breue, simum,
 oculi habent pupillam nigram, iris colorem flauo-
 griseum, orbitas circundant squamulae hemisphaeri-
 cae, lingua est bifurcata, maxilla superior dentibus
 expers, duo ossa palati decem dentes acutos habent,
 maxilla inferior dentes quatuor. Super orbitas emi-
 nent duo tentacula acuta, quae quartam partem pol-
 licis aequant, ac circulo squamularum erectarum
 circumdantur. Corpus versus collum est gracile,
 in media parte diametro pollicis vnius, cauda decre-
 scit et in acutam extremitatem terminatur, caput,
 dorsum et superior pars caudae est colore ochraceo
 cum maculis irregularibus, reliqua colore albo; lon-
 gitude a naso ad anum fistit $22 \frac{1}{2}$ pollices, caudae $3 \frac{1}{2}$
 poll. venter 145 scutis obtegitur, cauda vero
 86 squamis.

36) *Excerpta ex diario meteorologicarum obserua-* p. 291;
tionum Quebeci obseruatarum inter 1 aprilem 1765 at-
que trigesimum aprilem 1766 a Cl. ALEX. ROSE,
atque communicatarum per Cl. P. MURDOCH.

37) *Descriptio duorum nummorum Parthianorum*, p. 296.
 nondum diuulgatorum, a Cl. JOHN SWINTON in
 litteris ad Cl. CHARL. MORTON.

38) *Relatio de felici operatione hydropis pectoris* p. 302.
 a Cl. WILLIAM MORELAND, communicata a Cl.
 WILL. WATSON. Foemina grauida hydrope pe-
 cotoris in latere dextro laborans, se subiecit operationi
 empyematis et facta incisione inter sextam et septimam
 costam,

costam, effluxerunt 7 librae aquae limpidae et aegra deliquum animi passa est, sed postea nulla fere sensit incommoda, vulnus intra mensis spatium clausum est et aegra peperit iusto tempore feliciter, beneque deinde se habuit.

p. 305. 39) *Litterae Cl. E M A N. MENDES DA COSTA ad Cl. M. M A T Y, quae continent supplementum ad relationem de detecto stanno nativo Art. VII*) pertinens.* Mineram societati regiae missam, verum esse stannum natuum, ex eius nexu cum arsenico demonstratur. Etenim post exactum examen vidit Cl. Auctor, mixturam quarzosam, inter mineram et stannum positam, non esse quarzum, sed potius arsenicum, quod ex odore deterrimo, quem spargebat, si igni adspergebatur, intellexit.

p. 307. 40) *Supplementum ad relationem de amphibio bipede Cl. JOHN ELLIS, Art. XXII**) fistens descriptionem anatomicam huius animalis, auctore Cl. JOHN HUNTER.* Lingua est lata, osse instruta, vti in variis auibus; in posteriori et lateralí parte oris inveniuntur tria foramina; quae rimulis branchiarum piscium similia sunt; ad radicem linguae incipit trachea, ac descendendo in bronchia pulmonum dividitur; pulmones duplices sunt, a corde per totum abdomen descendentes usque ad anum. Cor unum ventriculum unumque auriculam habet; sanguis ex vena caua dicitur antrorum ac sursum in sulcum hepatis, atque in saccum pericardio similem, ex hoc in venam ad sinistrum auriculae latus positam, quae sanguinem ex capite, pulmonibus ac bronchiis recipit et in auriculam dicit; aorta arcum format, ac deinde ramos emittit; hepar unum lobum fistit cordi

*) Vide paullo superius p. 497 sq.

**) Vide superius p. 505 sq.

cordi adnatum, vesica fellea destituta est ductu hepatico, hepaticocysticus ex eius fundo progreditur, cysticus ex eius posteriori parte exit et intestino inseritur prope pylorum; lien est angustus, sed longus, ac mesenterio adhaeret. Sub intestino recto adest vesica, muscularis abdominis adhaerens et in rectum se aperiens; in utroque latere recti inueniuntur duo corpora, quorum posteriores extremitates anteriori fini renum adhaerent, sed non determinare audet Cl. Auctor, utrum sint testiculi, an ovaria?

XIII.

IO. FRIDERICI CARTHEUSER, Med. Doct. et Prof. Publ. Ord. Acad. Reg. Boruss. sodal. et Acad. Elect. Mogunt. scient. vtil. assess. Fundamenta materiae medicae tam generalis, quam specialis. Tomus I. editio noua, praecedente emendatior ac longe auctior. Francofurti ad Viadrum apud Anton. Godofred. Braun. 1767. 8. Alph. I. pl. 15. et Tomus II. ib. eod. Alph. I. pl. 17.

Priorem huius de materia medica conscripti libri editionem recensentes *) summam rerum contentarum exhibuimus; nouam nunc editionem indicantes, ea tantum, quae mutata sunt, recensebimus. In genere itaque, ut ex prooemio patet, notandum est, pauca, quae Cl. Auctori non amplius placuerunt, ablata, nonnulla in meliorem ordinem redacta, multa emendata et longe adhuc plura addita esse. Acceserunt nimirum quinquaginta fere capita noua, quae selectorum, vel nostra aetate fere vbiuis visitatorum

*) Vid. Comment. nostr. prim. Decad. Suppl. II. p. 291.
Tom. XV. Part III. Kk

tatorum simplicium descriptionem complectuntur.
Nomisra botanica, ut plurimum ex BAUHINORUM,
TOURNEFORTII et LINNAEI scriptis desumere
Nostro placuit, loca tamen specialia, ne centies re-
petita libri eiusdem recensio lectoribus taedium pa-
reret, addita non esse, notat. Seriem sectionum
quodammodo mutatam deprehendimus. Sectio
enim tertia, quae de insipidis et subdulcibus muci-
lagineis et gelatinosis agit, in priore editione sectio-
nem decimam quintam constituit et quarta sectio de
dulcibus, subdulcibus leniter amaricantibus, austrius-
culis atque balsamicis, vnguinofo-oleosis et pinguibus
agens, in priore editione sectio decima quarta est. Se-
ctio decima, quae sententiam Cl. Auctoris de acribus
alterantibus explicat, in priore editione sectionem de
dulcibus praecedit, hic autem eam sequitur.

- Quod ad ipsam tractationem attinet, multa capi-
ta prorsus noua, alia autem valde mutata deprehen-
p. 101. dimus. Sic in sectionis secundae capite quinto in-
fusi illius, quod ope aquae ex testis ostrearum et
cochlearum calcinatis paratur, quodque a Cl. W H Y T T
p. 120. tanquam lithontripicum laudatur, mentio fit. Ca-
put octauum, quod de crystallo montana, lacte lunae
et terris sigillatis agit, hinc inde mutatum legimus.
p. 162. Quae in sectione tertia de radicibus salab et orchidis
vulgaris, de farina illa, sagu dicta, de vipera de-
p. 192. que stinco marino dicta sunt, noua reperimus. In
sectione quarta capite primo multa de natura, prin-
p. 196. cipiis, viribus et vsu vnguinofo-oleosorum et capi-
te secundo nonnulla de natura, differentia ac viri-
bus pinguedinum animalium magis enodata sunt;
praeterea de seminibus sesami, de oliuis et nucibus
beeni, de cera, atque fructibus cacao plura hic re-
p. 341. periuntur. In sectione septima caput quintum de
sale mirabili Glauberiano nativo eiusdemque specie-
bus notioribus multo studio in hac noua editione
ela-

elaboratum est. In sectione decima nouum caput p. 475.
de cardamindo legimus. In sectione undecima rā p. 503.
dicibus amaris radix exotica mungos adnumeratur;
de radicibus porro aristolochiae, scrophulariae,
et de cortice simarubae, et in sectione duodecima p. 531.
de turpetho vegetabili, de hermodactylis, atque
radice senega capitā noua inserta dēprehendimus.

In tomo secundo balsamicis et aromaticis ad-
numerantur nardus siue spica Indica et Celtica;
schoenanthus et malabathrum seu folium Indum,
ruta, botrys ambrosioides, ageratum, leucoium
luteum seu flores cheiri, lignum cedrinum, cor-
tex caryophylloides Amboinensis, seu cortex cu-
lilawan, cortex Winteranus verus, gummi galba-
num, bdellium et opopanax, styrax liquida, ara-
cūs aromaticus, vulgo vaniglia dictus, naphtha seu
petroleum, pissaspaltum, asphaltum et mumia mi-
neralis Persica. In sectione decima quinta capita de
radice saponariae, de radice ginseng et ninzin, de
lichene cinereo terrestri, de musco clauato, de vua
vrsi, branca vrsina Germanica, de anagallide et de
millepedibus, nec non lumbricis terrestribus noua
sunt. Tandem nouum quoque caput de natura ac
viribus aquae marinae et caput de aquis soteriis
mineralibus auctum reperimus.

Sed haec in vniuersum de noua hac editione di-
cta sint; quaedam nunc hinc inde decerpere liceat.
Radices salab et orchidis insignem copiam mucilagi-p. 170.
nis fouere et recentes debilem odorem hircinum
spirare, inque morbis ab humoribus iusto tenuiori-
bus vel acida acrimonia prouenientibus, auxilium
non spernendum praebere, vim vero earundem
aphrodisiacam, adeo olim laudatam, nullam esse, Cl.
Auctor asserit.

- p. 184. Gelatinam viperarum sale volatili vrinoso, non explicito tamen, longe magis, quam plerorumque aliorum animalium gelatinas, abundare et substantiam carnis stinci gelatinosam, quae cum viperarum gelatina quoad naturam comparatur, copioso pariter sale volatili vrinoso, itidem implicito turgere, Noster autumat; vis autem stinci aphrodisiaca, ab aliis laudata, ab Eodem in dubium vocatur.
- p. 510. Radicibus amaris indigenis gentianae rubrae, dictamni albi, trifolii fibrini, radix mungos a Cl. Auctore adiungitur, quae intense amara aegris, febre quadam putrida maligna correptis, opitulari et in hydrophobia pariter ac rabie canina insignes et p. 514. plane specificas vires exserere dicitur. Radices aristolochiae, longae verae nimirum, rotundae, clematitis vulgaris et fabaceae ex Cl. Auctoris sententia interne parcus et prouide usurpanda sunt, ne acri monia sua, nonnihil erodente, noceant.
- p. 569. Turpethum vegetabile et radicem bryoniae, cum saepe in operando iusto violentiores reperiantur et vehementia vt plurimum ventris tormenta aliasque affectiones spasmodicas excitent, e selectiorum catharticorum censu relegendas esse, Noster innuit.
- p. 573. Hermodactylis, si praescribantur, alia cathartica, eaque magis actiua, nec minus leniora quaedam aromatica addere, Noster suadet et priora ideo quidem, vt purgandi virtutem paullulum intendant, posteriora autem, vt flatus, quos hermodactyli ob viscositatem suam gignere solent, discutiant.
- p. 576. Radicem senegam, quae ab omnibus botanicis polygalae speciebus adnumeratur, inter laxantia ac leniora emetica referendam esse, usumque eius ad curationem nephritidis fabuloſo-pituitosae, catarractae recentioris plurimumque aegritudinum, quae diuretica, diaphoretica ac potentiora remedia dissoluentia ad sui sublationem postulant, cum fructu haud spondendo

nendo transferri posse, Cl. Auctor asserit, atque huic radici Virginiana, ob aliquam naturae ac virium similitudinem radiculas et herbam polygalae nostratis, quae a c. BAUHINO polygala maior vocatur, substitui posse, autumat.

Botrys ambrosioides, vt chemicum, a Nostro institutum, examen ostendit, ex copioso principio spi-^{T. II.} p. 132. rituoso, aromatico - camphorato, paucō oleo, nec non sale quodam salso et fixa substantia resinoso-gummea constat; hinc eam inter medicamenta satis efficacia carminatiua, anthelmintica, vterina, pectoralia *) et anticacheistica pertinere, Noster asserit. Ageratum p. 138. foliis ferratis c. BAUHINI seu vulgo ita dictum eupatorium MESUAE quoad indolem et virtutem tanaceto analogum esse, Noster ostendit.

Cum santalo flavo propter magnam naturae ana-^{p. 169.} logiam lignum cèdrinum ad eandem medicaminum classem reuocari posse, Cl. Auctor arbitratur. Arbor, quae istud foeneratur, a c. BAUHINO *cedrus conifera* foliis laricis nuncupatur. De vsu medico speciali nihil addidit, cum nondum perfecte exploratum sit, sed locum tamen inter ordinaria pharmaca mereri, putat.

Corticem culilawan principiis valde actiuis, spi-^{p. 196.} ritu nimirum, oleo aethereo et substantia fixa resinosa ac gummea instructum esse, inque morbis a crassis, mucido tartareis ac pituitoso putridulis humoribus et nimia insimul partium solidarum humi-

Kk 3

ditate,

*) Cum planta haec a nonnullis in quacunque phthisi pulmonali laudetur, omnes sane, qui ad eam velut ad sacram anchoram confugiunt, de attendenda huius plantae indole monendi sunt, ne absque disquisita caufsa in quacunque phthisi *calidam* hanc plantam commendent, quam paucissimis tantum phthisicis paucisque aliis pulmonicis utilem esse, certum est.

ditate, flacciditate et atonia potissimum oriundis, ab eo auxilium exspectandum esse, ostendit.

p. 368. Aracum aromaticum, qui vulgo vaniglia dicitur, principio spirituoso ac resinoso oleoso turgere et siccum quoque sal volatile oleosum floribus benzoinis analogum, in naturali mixtione continere, hinc virtute calefaciente, discutiente, roborante, stomachica, carminativa et emmenagogica pollere, Noster autumat.

p. 383. Discriumen, quod auctorum nonnulli inter naphtham, petroleum et oleum terrae faciunt, essentiale non esse, Autor monet. Differentiam enim, quae in consistentia, puritate, colore, odore caeterisque proprietatibus, sensibus obuiis, occurrit, accidentalem tantum esse, ostendit. Ceterum petroleum remedium naturae admodum calidae et magnae actitatis esse, atque caute tam interne, quam externe usurpandum, dictumque oleum sub tempestiuo ac congruo usu interno morbis multis ac variis egregie mederi, sub intempestiuo autem et incongruo magna aegrotantibus incommoda ac detrimenta inferre posse, asserit.

p. 403. Mumia mineralis Persica, quae nobilior, spissior ac sensim paulo indurescens, pissasphalti species Nostro esse videtur, secundum eiusdem sententiam inter efficacissima medicamenta referenda est. Si enim aliqua eius portio cum sufficiente butyri quantitate liquata, interne ad quatuor circiter, quinque aut sex grana vna vice adsumatur, sanguinem, post contusiones aut casum ab alto extrauersatum ac coagulatum, potenter resolui et mirifice pariter viscerum apostematibus, ulceribus et rupturis internis mederi, asserit. Parem, immo longe adhuc maiorem ac plane mirandam efficaciam in luxationibus membrorum et ossium fracturis monstrare, quando usus externus interno iungitur et vnguentum

tum ex mumia cum butyro liquefacto, aut, secundum HASSELQUISTII relationem, cum oleo olivarum paratum, parua saltim quantitate membro luxato aut ossi fracto post reductionem decentem applicatur, Noster perhibet. Radicem saponariae virtute radicem sarsaparillae multum superare et loco eiusdem in affectionibus venereis, scabiosis, scorbuticis aliisque morbis cum fructu haud spernendo usurpari posse, Noster arbitratur. Radices ginseng et ninzin, quas incolae Chiae, Iaponiae plurimae Asiae regionum tanti aestimant, multoque pretio vendunt, radici petroselini nostratis Cl. Auctor vix praefert.

Lichenem cinereum terrestrem RAIT, quem TOURNEFORTIUS lichenem pulmonarium faxatilem, digitatum, maiorem, cinereum appellat, copiosas partes terreas, vaporosum porro quoddam elementum putridulo mucidum, atque fixa etiam principia resinosa ac gummea continere: vaporosum autem istud principium in ipsa planta non generari, sed humori aqueo ex terra humida, cui lichen sponiosus adnascitur, copiose intranti et putredinosa corruptela nonnihil deprauato, genesin praecipue debere, Noster ostendit. Quod autem ad virtutem illam specificam, licheni contra rabiem caninam adscriptam attinet, eum ob principium acre, substantiae gummeae inhaerens et ob satis validam proinde virtutem diureticam demorsis nonnihil opitulari, suamque symbolam, si tempestiue adhibetur, ad hydrophobiam auertendam conferre posse, autumat. Medicamenta enim subtili ac penetrante acredine donata actiua diuretica esse, haecque inter praestantiora hydrophobiae virulentiae tum auertendae post morsum, tum curandae, remedia referri posse credit.

Puluerem anagallidis, aduersus hydrophobiam laudatae et quidem integrae plantae siccatae singulis

lis praeparatis reliquis palinam praeripere et bis quotidie ad drachmam dimidiam in aqua sua destillata, aut proprio decocto aquoso adsumi posse, Noster contendit.

p. 557. Millepedibus nullas vires adscribit Cl. Auctor, quod in eorum principiis constitutiuis nullam fin-

p. 597. gularem virtutem inuenit. Aquam marinam, praeter sal salsum vulgare, singulare quoque sal neutrum amarum, nec non tenerius quoddam nitrosum, et subtilem substantiam vnguino-bituminosam, quae corpusculis salinis tenacius adhaerescat, in poris suis recondita fouere, hinc ad dissoluendas quascunque impuritates mucidas, viscidas, tenaces in ventriculo, intestinis aliisque cauitatibus et amplioribus non minus, quam angustioribus canalibus delitescentes, utilem esse, atque ideo ad curationem variarum aegritudinum chronicarum valere, Cl. Auctor ostendit; peculiarem autem effectum ab immersione maniacorum et hydrophoborum in aqua marina non expectat et dulcem aquam frigidam fontanam ac fluvialem marinae hac in re minime cedere, immo, cum salutarium effectuum caussam in memoratis morborum speciebus magis ad frigus, quam ad falsedinem eius et eminentiorem grauitatem specificam redire putet, fontanam ideo ob maiorem plerumque frigiditatem suam, ista nonnunquam praestantiorum esse, arbitratur.

XIV.

Nosocomii ciuici Pazmanniani annus medicus tertius siue obseruationum circa morbos acutos et chronicos ab HENRICO JOSEPHO COLLIN, Medico Viennensi et eiusdem nosocomii physico factarum, pars prima. Vindobonae typis I. T. de Trattner 1764. 8. pl. 17 $\frac{1}{2}$.

Expletam nunc videmus spem, quam fecerat Ill. STOECK, vti iam Lectoribus alio loco indicauiimus *), futurum esse, vt, si ipse non amplius ob munus aulicum praeesse nosocomio ciuico Viennensi Pazmanniano, obseruationesque annuas nobiscum communicare potuerit, Cl. C O L L I N veluti in munere, ita et in hoc labore ipsi succedat. Continet vero pri- mum hoc volumen morborum acutorum historias, in dicto nosocomio a mense iulio 1760 ad eundem mensem a. 1761 obseruatas, quo anno 590 aegri morbis acutis ibidem laborarunt, ex quibus 47 mor- tui sunt. His additae sunt de febribus intermit- tibus obseruationes et experimenta cum cicuta per tres et ultra annos facta.

Quod itaque primum ad morbos acutos attinet, p. 1. obseruatum est, eos, qui *mense iulio 1760* febre acuta simplici in hoc nosocomio decubuerunt, omnes facile morbum superasse, duabus foeminis exceptis, quae petechiis et purpura affectae perierunt. *Augusto* p. 7. *mense* inflammatorii morbi satis frequentes erant. In primis autem multi pleuritide afficiebantur, quam sudor, quinto vel septimo die accedens, ut plurimum leuabat. Nonnullis aegris, qui quinto morbi die non sudauerant, vesicatoria egregio cum effectu do- lente in loco applicabantur. In cadauere autem

Kk 5

aegri

*) Vid. Nosocomii Pazmann. ann. med. II. et Comment. nostr. Vol. X. p. 281.

aegri, septimo die mortui, pars pleurae in loco dolente ad imperialis fere magnitudinem gangraenosa, pulmoque pleurae filamentis hinc inde accretus et sanguine infarctus reperiebatur. Qui primo vel secundo die sputa facile reiiciebant, copiosa venaesectione non indigebant, ita ut illa, symptomatibus remittentibus, repetita, detrimentum iis attulisset. Atque in vniuersum Cl. Auctor sententiae eorum minime accedit, qui solis venaesectionibus omnem dolorem pulsusque duritiem auferre cupiunt, cum exinde haud raro ita aegri debilitentur, ut pereant, vel difficile admodum pristinam sanitatem recuperent. Hinc potius si post primam venaesectionem dolor aliquo modo mitior sit, nec amplius respiratio et tussis adeo molestae sunt, licet pulsus adhuc duriusculus sit, solo potu copioso remediiisque resoluentibus antiphlogisticis, nec non cataplasmatibus reliquam curam absoluere studet. Si dolor vero recrudescit etiam venaesectionem repetit. Aegris quibus sputa quinto vel septimo tantum die prodierunt, kermes minerale exhibuit. Solis tamen sputis nulli curati sunt, sed semper septimo vel nono die diarrhoea critica accessit. In aegra, pleuride laborante, purpura alba nono morbi die accessit, quae tamen euasit.

P. 27. *Mense septembri* fere omnes, qui acute decumbebant, febre continua remittente laborabant, quae emeticum statim in initio exigebat. In iis vero, in quibus hoc salutare remedium negligebatur, secundo vel tertio die diarrhoea foetida, aegrum insigniter debilitans, accedebat. Vomitorium tunc datum nullam emesin excitabat, sed purgantis vires exserebat. Cum vero Cl. C O L L I N suauu Cel. S T O E R K I I variis aegris, tertiana simplici nullo alio symptomate stipata laborantibus, aliquot ante paroxysmi accessum horas drachmam semis spiritus sulphuris per campanam cum aquae destillatae vnciis duabus et drachmis sex syrapi

·syrupi diacodii exhibuisset insigni cum fructu, idem
 ·hoc remedium in febre continua remittente nonnullis aegris propinavuit. Tussi tamen molesta sub paroxysmo afficiebantur et sequentibus paroxysmis ita debilitabantur, vt corticis vsu febris mitiganda esset. *Mense octobri et nouembri* multi aegri febre continua remittente afficiebantur. Qui ex his singulis diebus exacerbationes patiebantur, in iis febris haec inflammatoriae fere similis erat, similemque exigebat medendi methodum, quo non obstante tamen in nonnullis miliaria alba erupuerunt. Quae vero tertianae magis typum seruabat febris, vomitorio et corice Peruuiano fugabatur. *Vltimo anni 1760 mense* pauci tantum acutis morbis afficiebantur, inter quos tamen etiam exanthemata reperiebantur. *Januario* pleuritides in primis occurribant, in quibus nonnunquam loco vesicatoriorum sinapismos tantum Cl. Auctor loco dolenti applicabat. *Februario* mense bi-nos tantum pleuriticos in nosocomio suo Cl. Auctor habuit; octo vero alii aegri catarrhali febre cum tussi molesta laborabant, qua tamen spumescerent tantum liquorem reiiciebant. Alius tarda erat et ex alimentorum vsu, licet appetitus vigeret, semper febris intendebatur. Hinc purgans iis Cl. Auctor dedit, quod magnam viscidii copiam eduxit. *Mense martio* in morbis acutis nil peculiare annotatum est. In foemina, quae febre antea acuta laborauerat, atque ut maniaca ad nosocomium deferebatur, pulsus plenus, minime celer aderat. Venaefectione vero administrata, aegra mentis compos iterum facta febrisque iterum excitata est, qua curata, perfecte sana euasit. *Mense aprilii* multi febribus acutis afficiebantur. Pulsus in iis erat minime durus, calor magnus, summaque prostratio virium atque totum fere corpus dolebat. Accedebat tussicula sicca, qua post aliquod tempus viscidum tandem glutinosum reiiciebatur.

Demul-

Demulcentibus et inuoluentibus Cl. Auctor in cura-
tione harum febrium vtebatur. Nonnullis, qui fre-
quentiori nausea afficiebantur, vomitorium et pur-
gans dedit optimo cum effectu. Prodierunt tamen
etiam in his nonnunquam miliaria alba. *Mensibus*
p. 92. *maio* et *iunio* continuae remittentes cum exacerbatio-
nibus, alterno die recurrentibus, in primis grassaban-
tur. Varii etiam inflammatoriis morbis correpti
sunt. Praeterea tres foeminae allatae sunt, quae ca-
lore et siti ingenti cruciabantur cum validissima
cordis palpitatione, quae venaesctionibus non cede-
bat. Hinc Cl. Auctor vesicatorium sub mamma fini-
stra optimo cum effectu applicari iussit. Ex omni-
bus vero obseruationibus, a Cl. Auctore singulis men-
sibus descriptis et hic communicatis, patet, illum
omnibus mensibus optima medendi methodo, mini-
me calefaciente, adhibita, tamen inter aegros, curae
suae demandatos, habuisse nonnullos, exanthemati-
bus miliaribus et petechiis laborantes, ita, ut vel ex
his historiis pateat, exanthemata illa non semper, ut
ILL. DE H A E N asseruit, calidioris regiminis effectus
esse, sed sponte ex miasmate peculiari oriri.

p. 107. Ex capite secundo, quo Cl. Auctor nonnulla *de*
febribus intermittentibus monet, notamus, quatuor
ab eo aegros mixtura, cum spiritu sulphuris, metho-
do supra descripta parata, curatos esse. Debent ve-
ro aegri, quibus hoc remedium dare cupimus, habe-
re corpus purum, ab omni obstructione liberum,
pulmonesque sanos, cum alias sub paroxysmo tussis
molesta oriatur febrisque augeatur. In quartana
decoctum ex radicibus leniter resoluentibus para-
tum, addito sale polychresto, spiritu nitri dulci et
syrupo fumariae adhibuit. Iis vero, quibus respira-
tio extra paroxysmum quoque difficilis erat, grana
duo kermes mineralis quater de die exhibuit. Vsus
quoque est infuso stipitum dulcamarae, quo etiam fe-
brein

brem intermittentem rebellem in grauida octo mensium feliciter sanauit.

Tertium caput, quod de miranda cicutae efficacia p. 105. in difficultimis ac multis olim pro incurabilibus habitis morbis, inscribitur, 41 morborum historias continet, in quibus hoc remedium egregium effectum praestitit. Pertinent vero obseruationes potissimum ad tumores viscerum scirrhosos: tumores glandularum et genuum: tineam: luem venereum: ulcera venerea: vomitum pertinacem cum tumore in epigastrio: ulcera phagadaenica et scorbutica, nec non scorbutum ipsum: scrotum induratum: mammae scirrhosas et carcinomaticas: cancrum linguae et faciei etc. In genuum tu-p. 115. more lymphatico, incisione facta, fomenta ex cicuta etiam egregium effectum praestiterunt. Aegrae, quae p. 131. a pluribus annis nocturnis artuum doloribus, tophis et fluore albo ex lue venerea afficiebatur et in qua mercurius sublimatus tussim excitabat, cicutam, adjunctis nonnunquam decoctis, eo cum effectu propinavit, ut longa curatione feliciter ad finem perdueta, fragmenta ossea plura in crano separarentur, aegraque tandem sanissima e nosocomio egredetur. In vomitu pertinaci cum tumore, duos pollices p. 155. infra cartilaginem xyphoideam sito, extractum cicutae in aqua solutum cum laudano dedit. Aliquoties expertus est ex usu cicutae, gangraena nata, integræ frusta carcinomatici tumoris excidisse, ulceraque pura facta esse, quod in primis in foemina octogenaria, p. 185. cancro mammae aperto post scirrum triginta annorum laborante, obseruatum est. In iis vero, qui, cancro mammae post cicutae usum fere perfecte sanato, tabidi tandem perierunt, fere semper pulmo in latere affecto scirrhosus deprehensus est. Foe-p. 256. mina 31 annorum ex menstruis, per sex menes iam suppressis, dolores in pelvi patiebatur, cum hypogastrii tumore ad trium pollicum altitudinem extra pelvem

peluum prominentem, transuersim oblongo, ad tactum
 multum dolente et acris materiae e pudendis efflu-
 xu. Accedebat tandem dysuria. Variis remediis
 frustra adhibitis, Cl. Auctor tandem ad cicutam eo
 cum effectu confudit, vt intra duos menses sanare-
 p. 296. tur, menstruaque iterum prodirent. Addit tandem
 Cl. Auctor huic capiti vndecim corollaria, quae,
 cum summa quasi sint obseruationum, ab eo facta-
 rum, hic enarrare operae pretium esse putamus.
 Docet vero 1) cicutam in obstruktionibus internis
 et viscerum indurationibus egregio cum effectu ex-
 hiberi posse et secure, modo medicus ad mutatio-
 nes, huius remedii usum sequentes, attentus sit et
 si signa metuenda suppurationis internae se osten-
 dunt, illam, sopita febre, interrupto cicutae usu etc:
 impedit. 2) Formicationis et leuioris doloris in
 tumore, antea indolente, sensus medicamenti ingres-
 sum et actionem in illum indicat. Si dolor intendi-
 tur, suppuratio accedit, vel scirrhosa pars a fana gan-
 graena separatur, quod utrumque in tumoribus ex-
 ternis minime impediri debet. 3) Attamen saepe
 etiam scirrhi recentes aliquique tumores duri resolu-
 tione curantur, quo in casu subinde datum purgans,
 nisi ipsa cicuta aluum leniter subducatur, prodest. 4) Si
 mercurius sublimatus ob nimium a lue venerea la-
 befactata viscera exhiberi nequit, vel aegri eum non
 ferunt, cicuta adhiberi potest. Haec enim dolores
 lenit, vlcera sanat et corpus a tetterimo hoc malo
 liberat. 5) In primo quoque, secundo et tertio
 scorbuti gradu utilissima est cicuta, vlceraque scor-
 butica sanat. 6) Cicuta liberiorem et aequaliorem
 circulationem reddit, viscidum resoluit et obstruc-
 tiones referit, nec tamen sanguinem aggreditur,
 qui sub usu eius etiam diu continuato, pristinas suas
 qualitates seruat. 7) In omni cancro cicutae usus
 salubris est: si enim ob viscerum labem vel corpus,
 a diu-

a diuturno morbo exhaustum salutem adferre nequit, dolores tamen lenit, saniem rodentem saepe in pus admodum blandum conuertit, et sic reliquos vitae dies magis tranquillos reddit. 8) Gangraena scirrum et cancerum in iunioribus vel robustis corporibus a sanis partibus separat. 9) Sub vsu cicuta^e omnia alimenta sumi possunt. Nocent tamen valde acres et tenaces cibi copiose sumti. 10) Vinum bonum moderate sumtum prodest. Nimia vero copia haustum omnia perturbat, dolores auget, suppurationem suppressit et vlcus exsiccat. 11) In lue venerea, scorbuto et ulceribus venereis et scorbuticis, nec non in scirrho et cancro folia cicutae vase clauso per semihoram decocta, aequa secure ac extractum et eadem cum efficacia exhiberi possunt.

Satis haec esse posse speramus, vt intelligent Letores, quae sit huius libri utilitas. Quare etiam haud dubie nobiscum optabunt, vt mox euenniat, quod in praefatione huius voluminis pollicitus est Cl. Auctor, illeque obseruationes, de morbis acutis sequentibus annis factas, nec non experimenta cum colchico, hyoscymo et aconito instituta, proxime in lucem prodire iubeat; quod tamen dolemus, ad hunc usque diem nondum euennisse.

XV.

ALBERTI V. HALLER operum anatomici argumenti minorum tomus secundus. Pars prima et secunda ad generationem. Lau- sanna, sumtibus Francisci Grasset et socio- rum. 4. 3 alph. 7 pl. tab. aen. 5.

Praecipuam quemadmodum merentur attentio- nem, quaecunque ab Ill. HALLERO profici- cuntur, ita etiam secundum hoc volumen opusculo- rum

rum anatomicorum *) eiusdem, licet maxima pars libellorum, quos comprehendit, iam antea et plus semel edita sit, illam sibi iure postulat, in primis cum nota sit Auctoris Cel. consuetudo, qua nouis editionibus librorum suorum, semper aliquid addit, plura que emendat.

Pars autem prima secundi huius voluminis continet primum:

p. 1. XXV. *Observationes de vasis seminalibus.* Programma hoc Gottingae editum a. 1745 ad dissertationem inauguralem Cl. WINKLERI de *situs uteri obliquo* pertinet, atque deinde *transactionibus philosophicis* n. 494 et tomo V. *dissertationum anatomico-physiologicarum selectarum*, quas Ill. HALLERUS collegit, insertum est (p. 13). Fatetur nunc Cel. Auctor se suspicari, rete illud, albogineae adhaerens, (vid. tab. I. fig. I. g) quod in teste interuallum occupat, quo epididymis libera est, medium inter caput, inferioremque huius partis adhesionem, non vasculosum, sed cellulosae telae genus esse, in quod semen a ductibus rectis effundatur et ex quo per vasa absorbentia serpentina conorum epididymidis efferatur.

p. 9. XXVI. *Num dentur hermaphroditi,* commentarius lectus d. 23 apr. 1751 in primo conuentu societatis regiae Gottingensis, qui etiam in tomo primo *commentariorum* huius societatis p. 9 reperitur **).

p. 31. XXVII. *Uteri humani icones duae sumtae sunt ex iconum anatomicarum fasciculo secundo p. 39.*

p. 41. XXVIII. *Historia nuperae dissectionis foeminae grauidae.* Est dissertatio inauguralis Gottingae a. 1739 respondentे I. L. C. MEYER defensa, quae etiam in tomo quinto *dissertationum anatomico-physiologic.* p. 283 exstat.

XXIX.

*) Primum indicauimus vol. XIII. p. 94. Comment. nostr.

**) Vid. Comment. nostr. vol. II. p. 5.

XXIX. *De membrana foetus media, sive allanto-i.* p. 50.
de. Programma est Goettingae eodem anno 1739
 editum.

XXX. *Commentarius de formatione cordis in ouo.* p. 54.
incubato primus, sive historia phaenomenorum, ad Goet-
tingensem primum societatem missus est a. 1756,
atque deinde in gallicam linguam translatus, prodit
*Lausannae in duodecimo sub titulo: *sur la formation**
**du coeur dans le poulet, premier memoire* *)*: nunc ve-
 ro ab Ill. Auctore auctus et recusus est a. 1765.
 Continet noua haec editio experimenta, a. 1763,
 1764 et 1765 in ouis incubatis instituta, ita, vt
 loco experimentorum 274, quae prior editio conti-
 nebat, experimentorum numerus nunc ad 450 ad-
 scendat. Monet etiam Ill. Auctor **HIPPOCRATE**, p. 55.
 yti ex loco, qui in libro eius *de natura puerorum* reperi-
 tur, patet, iam experimenta cum ouis incubatis insti-
 tuisse, quo successivas pulli mutationes cognosceret.

Initium secundae partis huius voluminis facit:

XXXI. *Commentarius de formatione cordis in pullo* p. 312.
alter, sive compendium visorum et corollaria ex parte
historica deducta. Missus hic est primum ad societa-
 tem Goettingensem d. 9 Dec. 1757, galliceque cum
 priore eodem anno (vti titulus indicat, non vero a.
 1760, quod in indice huius voluminis p. 603 asse-
 ritur) prodit **) nunc vero auctus et recusus est d.
 16 Oct. a. 1765. Plura noua huic editioni adiecta
 sunt, omni lectorum attentione digna, quorum ma-
 xima pars ad subtiliorem descriptionem oui incubati
 anatomicam pertinet, quam Ill. Auctor recentiori- p. 317.
 bus suis obseruationibus multum auxit, ita, vt vnum
 hoc dolendum sit, totam hanc rem nullis iconibus
 illustra-

*) Vid. Comment. nostr. vol. VII. p. 234.

**) Vid. Comment. l. c.

illustratam esse, neque laborem, a C A S S E B O H M I O,
S T A E H E L I N O, Cl. Viris, olim post figuras FABRI-
CII AB A Q V A P E N D E N T E, M A L P I G H I I etc.
tentatum, ab Ill. H A L L E R O, qui ad hanc rem tractan-
dam aptissimus est, susceptum esse. Ex defectu enim
figurarum Lectores, in anatome oui parum exerci-
tati, perexiguam inde utilitatem capere posse viden-
tur. Spectant vero ea, quae in noua hac editione
addita sunt, potissimum ad *nidum pulli*, membranam
scilicet vitelli membranula tenera tectam, cuius figu-
ra a primis incubationis temporibus vario modo mu-
tatur, ad diem tertium usque, quo sensim minus di-
p. 321. stinguitur et obscuratur. *Amnii* quoque descri-
ptio multum aucta et emendata, totumque *de mem-
p. 326. brana umbilicali* caput nouiter elaboratum, atque ad
repetita experimenta emendatum est. Elegantissima
in hac membrana est vasorum fabrica, in quibus, mi-
croscopio adhibito, facile conspici potest motus san-
guinis, qui ruber in arteriis, violaceus in venis ad-
p. 329. paret, licet nulla pulmonum sit functio. *Vrachum*
p. 332. quoque et *figuram* sic dictam *venosam* accuratius de-
scribit et ad varias obiectiones, quas Cl. W O L F-
F I V S in *theoria generationis* *) protulit, respondet.
p. 348. Undecimum prioris editionis caput, quod *de vitello*
p. 354. inscribitur, hic septimum est. Vberius quoque fe-
p. 369. *tus* primordia eiusque *vagina* describuntur. Cordis
initia Ill. Auctor iam hora 38 ab incubatione vidit.
p. 399. Aucta quoque est *oculi* descriptio et *zonae ciliaris*,
quae etiam adiecta tabula aenea, illustratur. Caput
p. 404. decimum quartum varia proponit, quae in primis
ad vasorum et muscularum historiam in pullo oui
incubati pertinent. Quae vero in ossibus horum
animalculorum obseruauit, alio loco, inferius exci-
p. 406. tando, profert. Ex *corollariis* patet, Cl. Auctori, ut
iam omnibus notum esse arbitramur, evolutionis
theoriam.

*) Vid. Comment. nostr. vol. X. p. 217.

theoriam in explicando generationis negotio in primis arridere, illumque putare, foetum omni tempore iam in ouo existere, quae tamen omnia, cum in tomo octavo *elementorum physiologiae* *) fusi ex pli cata sint, hic omittimus.

XXXII. *De quadrupedum utero, conceptu et foetu.* p. 422.

In hoc libello, qui primum nunc prodit, Ill. HALLERUS iis, quae Cl. KUHLEMANNUS in dissertatione inaugurali, *obseruationes, circa negotium generationis in ouibus factas*, sistens, quae Gottingae 1753 prodiit **), habet, vt suis vtitur, cum omnes incisiones sua manu perfecerit et in aduersaria retulerit.

Noua tamen sunt experimenta, in *capris, vaccis, caniculis, talpa, suibus, canibus et felibus* instituta. Occasione placentae vitulinae, quam accuratius examinavit, monet, globulos forte arteriosos solitarios ex matre in fetum transire, in truncis vero vasorum placentae iterum colligi, vt rubeant. Experimenta, p. 450. in canibus instituta, pertinent ad specimen inaugura le, quod olim b. ITHIUS, medicus Bernensis, moniebatur, ad quod etiam icones parauerat, quae cum eo interierunt. His omnibus addita sunt corollaria: saepe animalia frustra venerem pati: vesiculos p. 456. omni tempore in ouariis esse etiam virginum: corpus vero luteum in animali virgine nullum esse, sed per conceptum nasci et sensim occallescere, rationemque certainam ad fetuum numerum habere: vesicularum aliquas in formandis corporibus luteis consumi. et nouas certe in multiparis subnasci: tubas a venere ouarium amplecti, vt ouum in tubam illabi necesse sit: viuidum tubarum esse motum peristalticum: fetum multis diebus a foecundo coitu nūf quam adparere, sed mucum albidum et paulatim magis coloratum, qui primum in tenerae membra-

*) Vid. Comment. nostr. vol. XIV. p. 255 seqq.

**) Vid. Comment. nostr. vol. III. p. 629.

iae speciem consistat circa diem a venere in carnivoro animale decimum tertium, in herbiuoro decimum septimum, in omniuoro post decimum tertium: primum apparere membranam allantoideam praelongam: prima foetus initia tenerima esse, mucilaginosa, pene informia, adeo magna, ut sola pelluciditas impedit, quo minus conspiciantur: pulmones sero subnasci: os constanter in foetu apertum esse: aquam amnii raro, aliquando tamen ab alcohole cogi: semen in vtero non visum esse, cum de ceruice vteri vnica et dubia adhuc obseruatio existat.

- p. 460. XXXIII. *Experimentorum de ossium formatione pars prima et secunda.* Gallice hic libellus Lausannae primum editus est a. 1758. in duodecimo, sub titulo: *deux mémoires sur la formation de os, fondés sur des expériences, par Mr. DE HALLER* *). Primae parti, quae Cl. DETHLEFFII experimenta in animalibus, rubia tinctorum pastis, continet, adiecit Ill. HALLERUS alias adnotaciones, in quibus ad obiectiones respondet, quae Cl. FOUGEROUX **), qui Cel. DU HAMÉLII sententiam, de osse ex periosteo nascente, defendit, contra Dethleffiana experimenta protulit. Ostendit itaque DETHLEFFII experimenta omnino probare, succum ex fracto osse effusum paulatim in gelu, deinde in cartilaginem, tandemque in os confirmari, neque evanescere.
- P. 479. Secunda pars experimentorum de ossium conformatione continet experimenta, in pullis, in ouo incubato nascentibus, capta, quibus tabulae duae additae sunt, in quarum prima incubationum series, in altera vero horae, in quibus experimenta facta sunt,
- p. 480. recensentur. Adiectae quoque sunt descriptiones structurae ossium gallinae adultae, cuniculi, felis nuper natae et dentis elephantis a glande ferrea sauciati.

*) Vid. Comment. nostr. vol. VII. p. 516.

**) Vid. Comment. nostr. vol. IX. p. 610.

ciati. Natus est in eo tumor glandi circumdatus, lamellis constans absque ullo periosteum, ex succo post vulnus de integro osse effuso circa glandem ferrream et in laminas sensim ex ordine condensato. Se^ctio secunda compendium adnotationum et corollaria continet, in quibus de cartilagine, corpore ossis, tubo medullari, laminis, alveolis, membranis ossium, medulla, epiphysium genesi, vasisque ossium agitur. Epochae deinde euolutionum recensentur, formatio ossium planorum exponitur, tandemque periosteum non esse ossis modulum demonstratur. Ultimo tandem capite varia corollaria ex fabrica ossium eorumque incremento nata proponuntur, in quibus Cel. Auctoris de fabrica ossium sententia, eam scilicet ab arteriosi sanguine impulsu solo pendere, confirmatur.

XVI.

IOANNIS ANDREAE MURRAY historia infestationis variolarum in Suecia ad nouissimum tempus protracta. Goettingae impens. viduae b. Abraham. Vandenhoek 1767. 8. 13 pl. c. prooemio.

Inter alia a Cl. MURRAY edita et a nobis commemorata scripta, non minorem meretur assensum id, quod nunc indicamus, dum magnam librorum, qui hac de re scripti sunt, legendorum prodit assiduitatem. Proponit enim hic Cl. Auctor criticam historiam variolarum in Suecia, quae breuius iam ante aliquot annos in academico quodam libello *) ab Eo-

L 1 3

dem

*) Dissertatio inauguralis de fatis variolarum infestationis in Suecia. Auctore IOANNE ANDREA MURRAY. Gottingae 1763. 4. Comment. nostr. vol. XII. p. 94.

dem considerata est. Tota haec tractatio duabus constat partibus, quarum vna delineationem variolarum, sponte in Suecia grassantium, continet; altera originem, progressum et hodiernam infestationis variolarum in Suecia spectat conditionem. Finem tandem facit recensio viginti scriptorum, quae de infestatione variolarum in Suecia prodierunt.

P.J. p.2. BENEDICTI OLAI, qui primum in Suecia sub nomine morbillorum, (*Mässling*) de variolis scripsit, mentione facta, variolas, sponte in Suecia grassantes, considerat Noster et asserit, multos senes adhuc in Finniae prouinciis, Souolaxia et Carelia variolis nondum laborasse. In populosisoribus vrbibus nunquam fere desinunt grassari, sed epidemia eius nullum obseruat tempus, quoniam varia variolosum fouendi miasma est ratio, vt, per itinera, per litteras. Iniecit quoque Noster infantis variolis nati mentionem, quum mater circa finem grauiditatis cum alio librorum suorum, variolis laborante, versata sit. Pari modo autem quinquegenarii et octogenarii senis variolis correptorum, exemplum commemorat. Nunquam in Suecia bis vel pluries quis variolis correptus fuit, monetque saepe ab iis, qui hoc defendunt, veras cum spuriis confundi; an vero quis plane a variolis liber esse possit, dubitat Noster, largitur autem febrim variolosam adesse posse sine exanthemate. Nec minus febres intermittentes variolarum interuentu vel omnino, vel ad tempus esse sublatas, et febrim suppuratoriam sub specie intermittentis venisse, imo febrim variolosam et intermittentem sese coniunxisse.

p. 23. Quod attinet ad indolem variolarum, ibi grassantium, demonstrat Noster partim ex indicibus mortuorum, partim ex iis, quae variolas sequuta sunt, symptomatibus, cum multi sensuum et membrorum vsu sint priuati, eam esse potius malignam, quam benignam.

benignam. Cuius rei in caussas inquirens Noster, aeris vitium ac quidem nobis occultum, malam corporum constitutionem, remediorum neglectum, via diaetae et peruersam medendi methodum inter praecipuas esse referenda arbitratur. Cum vero nullum, nec infusum picis liquidae, nec pilulae praeservantes Ill. a ROSENSTEIN, nec moschus, nec cortex Peruuianus, nec externa, ut sinapismi, contra variolas remedium antidotum inueniri potuerit, ad solam inoculationem confugit Noster, optimumque remedium antivariolosum eam esse et fuisse, iam in parte secunda huius tractationis vterius demonstrat.

Haec incepta primum est anno 1754 Aboae in P. II. Suecia feliciter et iam duce Cl. SCHULZIO opti- p. 52- mo cum successu continuatur, id quod appareat ex tabula addita, insitores, loca, annos, infantesque, variolas insititas passos, continente. Quod ad preparationem attinet, potissimum sequuntur Cl. ROSENSTEIN, et ratione temporis, praeter vernum et autumnale, alia anni tempora eligunt et semper res feliciter successit. Nec epidemia variolosa arcet insitionem, quoniam vtriusque contagii connubium nihil malorum affert, modo aegri consentiant et fama inoculationis, euentu forsan minus prospero succedente, non obscuretur. In grauioribus quamquam morbis timent medici inoculationem, leuiora tamen e. g. ephthalmitias, vlcera aurium, tineam, scabiem, visus debilitatem, diarrhoeam, rachitidem, ozaenam, scorbutum aliaque plane non attendunt.

Quibus praemissis, variolarum insitionem varia- p. 96. que eius genera Cl. Auctor proponit. Maxime vulgaris est incisio in brachio, ad quam eo melius faciendam duo a Cl. SCHULZIO inuenta sunt instrumenta. Inter reliqua, lanceolae ope, qua variolofo aegro vena est secta, contagium fuisse communicationem, reperimus; quippe quod Nostro maxime arri-

det, ideoque suadet tentare, annon sanguine variolofo imbuta fila, eadem praestare possint, quae pure saturata; praesertim cum saepe paucae vel plane nullae interdum adsint pustulae variolosae et sola tantum febris variolosa. Quod porro ad fila seruanda et cum aliis communicanda attinet, varia hic propo-nuntur. Pus ex artificialibus variolis naturali mi-nus efficax est; aliquando pus ex confluentibus va-riolis feliciter adhibitum est. Tardius quidem ex-citant morbum, fila diu iam pure imbuta, eadem tamen, qua solet, febris vehementia. Reiterata va-riolarum translatio interdum efficax, interdum inef-ficax fuit. Quae retardatio ne filis tribui queat, Cl. SCHVLZIUS filis, diuerso variolofo pure infectis, simul vtitur. Narratur enim exemplum, vbi, ino-culatione bis infeliciter successa, fortuito casu vario-lis correpta est puella. Febris variolosae non certa est dies, interuallum autem febris et eruptionis semper idem fuit. Interdum febris sola sine vario-lis est obseruata.

p. 116. Copia variolarum aequa ac symptomata quan-quam fere semper modum tenuerunt, nec vltra 400 apparuerunt, excepto scabiofo, tamen silentio non praeterit Noster exempla variolarum nigricantium, confluentium, grauiorem febrem, conuulsiones aliaque mala symptomata habentium, illaes tamen inoculationis dignitate, quoniam aliae caussae hoc effecerunt, nec vlo mortuo. Nemo porro eorum auctorum, quos Noster perlegit, vna cum variolis alium quendam morbum fuisse communicatum ob-seruauit, alia vero mala, vt dentitio, miliares, petechiae accessere. Rarius variolae naturales et mor-billi simul, sed potius successiue, vti Cl. BERGIVS morbillos variolis et variolas morbillis praeuenisse obseruauit, contra DAVISIUM, qui morbillos tan-tummodo secutos fuisse variolas afferit, nec no-cuisse

cuisse timorem satis magnum ante infisionem, nobilem quendam percellentem, nec quidquam omnino mali reliquissime infisionem, imo chronicos morbos ut phthisicam labem ultra annum leuasse et ophthalmiam, adhibitis simul mercurialibus et purgantibus ad praeparandum aegrum, vulnereque sub genu facto, fluxum aurium curasse, exemplis illustratur.

Tandem Cl. Au^tor variolarum, arte excitatarum, p. 137. dignitatem demonstrat refutando eos, qui asserunt, aegros, variolis arte vietis, non tutos esse a naturalibus et affirmat, plane non posse hoc fieri, nisi ex errore spuriarum et verarum variolarum, aut ex negligenti praeparatione et nimis incauta infisione. Id quod quoque exemplis corroborat et redditum naturalium post artificiales variolas sine omni omnino dubitatione negat. Simili modo sentit Noster de epidemia variolarum, quae per infisionem oriri posset, ad quam excitandam aeris contagium necessario requiritur, dicitque hanc ob rem contra Ill. H A E N I U M, qui huic sententiae, vti constat, fauet, nec unquam epidemiam variolarum, per infisionem propagatam, oriri posse autumat. Propagationem autem ex negligenti filorum cura, seu ex nimis arcto commercio cum aegris variolosis, seu neglectis aliis, vitandi contagii modis, in quibus potissimum multus fuit ROSENSTEINIUS, fieri, infectionemque oriri posse, nunquam autem epidemiam, lubenter largitur Noster et exemplis confirmat.

XVII.

Varias cataractam extrahendi methodos succincte exponit et ad orationem, qua munus professoris medicinae extraordinarii clementissime sibi demandatum d. 8. octobr. 1766 adiuturus est, inuitat D. AUGUSTUS GOTTLIEB RICHTER. Goettingae literis Schulzii. 4. pl. 3. tab. aen. 1.

Insigne specimen comparatae multa diligentia, autemque in itineribus Cl. Auctoris, scientiae, hoc est, quod indicauimus, quamquam breue, de cataractae extractione scriptum academicum. Describit vero primum varias post DAVIELIUM, (quem iure pro inuentore huius operationis habet, licet, ut alios taceamus, ex Auctoris Cl. obseruatione, etiam LASNIERUS *) et MERY iam similem fere proposuerint,) inuentas methodos, Cl. virorum THARANTI, cuius tamen methodus a DAVIELII parum differt, DE LA FAYE, POYETI, SHARPII, SIGWARTI, BERANGERII, GERARDI TEN HAFF, WARNERI et PALLUCCII, singularumque commoda et incommoda multo iudicio indicat et inter se comparat. Addit deinde duas alias methodos, quas prae omnibus aliis commodas, faciles et tutas expertus est. Earum prima est methodus ex DAVIELII et DE LA FAYE composita, cuius auctor Cl. GRANDJEAN esse videtur. Altera WENZELII est, in qua minister, a tergo aegri positus, caput aegri ad pectus reclinans, digito medio et indice palpebram superiorem eleuat. Cultellus laminam duos pollices longam, in utroque latere leuiter conuexam, ancipitem in cuspidi, obtusam in dorso rectamque habet. Operator

*) In libro, qui inscribitur: *Recherches sur l'orig. et progr. de la chir.* p. 204.

Operator vero in sectione cunctatur, donec oculus sponte quiescat, vbi tunc subito cuspidem cultelli corneae a latere impellit, cuius acie ab iride auersa, cameram anteriorem oculi transit, siue in opposito latere e cornea exit, illa dimidia sua parte iam soluta est. Quo facto et facie aegri a luce remota, reliquum operationis ope cystitomi DE LA FAYE et leuioris pressionis peragitur. His praemissis, Cl. Au- p. 13.
 Auctor ad singulas difficultates progreditur, quae in extractione lentis obueniunt. Et quod primum ad oculi commotionem attinet, instrumenta omnia, quae ad illam compescendam excogitata sunt, (inter quae instrumentum BANARTI est, quod hastae formam habet et hic delineatur, nec non forceps, Heluetianae similis, qua Cl. LE CAT utebatur etc.) reiicit, nec digitii applicationem probat, cum oculus irritari, conuulsio excitari et humor vitreus prorumpere possit. Hinc cum WENZELIO potius quietem oculi expectat et tantum in iis hamulo BERENGARI vel similibus instrumentis utitur, qui oculum firmiter tenere nequeunt, v. c. in infantibus vel coecis a natuitate, sub quorum tamen usu semper humoris vitrei effluxus metuendus est. Minime cauetur hic effluxus, aegro in dorsum procumbente. Interim vel tertia eius parte elapsa tamen parua noxa inde oritur. Agit deinde de humoris aquei effluxu, qui, si p. 14. ante corneae sectionem finitam accidit, iridis laesioni ansam suppeditare potest. Quod incommodum nonnulli crassitie cultelli sensim aucta remouere tentarunt. Monet tamen Auctor Cl. non in forma cultelli, sed in uno moderamine irritationis auxilium quaerendum esse. Interim vel ipsa laesio iridis, quae non semper euitari potest, non tantum noxae habet ut plerumque putant. Vedit enim Auctor, parua iridis vulnuscula facile iterum coiuisse et DAVIE- LIUS nonnullique alii ipsam vueam incidere iubent.

bent. Atque cum choroidea in depressione cataractae impune plerumque pertundatur, cur non idem in iride, quae choroideae propago est, fiat, si vulnus paruum tantum sit. Capsula optime cystitomo de LA FAYE aperitur. Monet tamen Auctor Cl. iteratis vicibus eam incidendam esse, ut tota destruatur et cum lente exeat, cum flocculi illius inflammati opaci fiant, visumque obscurent. Praeter naturalis pupillae forma, post operationem relictā, nisi nimis a naturali recedat, visum non turbat. Sectione pupillam ad lentis maioris extractionē ampliorem reddere, minime conuenit, sed pupilla potius dilatanda est. Oculum post operationem comprimere, quo concava humoris vitrei pars conuexa et clarior fiat, nec tutum, nec necessarium esse videtur. Sub incisione corneae aegri ut plurimum pruritum ingratum sentiunt. Vitrīs conuexis aegri opus habent, si humor aqueus, quod plerumque post cataractae extractionem accidit, sedem lentis occupat, quibus contra non egent, si humor vitreus illam replet, quod post depressionem plerumque fit. Omittimus, quae Cl. Auctor de cura oculi post operationem et de cataracta membranacea huiusque methodi praestantia prae depressione habet, cum ex iis, quae hic adduximus, iam satis pateat, quanta copia utilium observationum dissertatio haec contineat. In tabula adiecta instrumenta Cl. virorum BAMARTI, BERANGERII, WENZELII et TELLION delineantur.

XVIII.

Observations on vapor-bathing and its effects: with some particular cases, in which it was used with success. By JOHN SYMONS, surgeon. Bristol printed by Farley and sold by Millar and White London, 1766. 8. pl. 7.

i.e.

Obseruationes circa balneum vaporis, eiusque effectus, cum aliquot singularibus morborum historiis, in quibus illud cum fructu adhibitum est. Auctore IOANNE SYMONS, chirurgo.

Remedia, quae mechanica arte ad corpus hum-
num infirmum adplicantur, temporibus, proxi-
me ante nostra elapsis, neglecta nimis fuisse constat.
Eorum tamen effectus faciles et manifestos esse, no-
runt omnes, qui in arte salutari exercitati sunt. Va-
poris balnea magni inter caetera esse momenti et
morbos saepe nulla arte sanabiles et diuturnos tolle-
re, cum alii plures iam docuere, tum Noster sua
experientia probe confirmat. Paucos enim morbos
esse putat, in quibus non sint adiuuantia, nonnul-
los, in quibus vnum hoc remedium habeat locum.
Inter morbos, in quibus hoc auxilium praecipue fa- p. 1.
lutare se inuenisse asserit Cl. Auctor, primus est fe-
bris inflammatoria, de qua capite primo ita differit,
vt primum auctorum celeberrimorum, qui hoc re-
medium in illo malo commendarunt, scripta laudet,
hisque addat obseruationes suas, in quibus omnem
morbi historiam, omniaque, quae adhibuit, auxilia
recenset: quam quidem rationem sequitur etiam in
reliquis capitibus, in quibus de aliis morbis differit. In
vniuersum autem de balnei vaporis in febre inflamma-
toria

- toria vsu monet, eius ope fibras relaxari, materiamque, vasis obstruetis inhaerentem, fluidiorem reddi, sicque reliquorum etiam remediorum actionem in-
- p. 18. signiter adiuuari. Secundo capite de febribus nervosis differit, in quibus, vehementibus deliriis stipatis, etiam auxilium hoc utilissimum deprehendit.
- p. 25. Tertius morbus febres sunt, quibus peripneumoniae symptomata accedunt, quartus angina inflammatoria, et quintus morbus articularis est, cuius paroxysmos adeo violentos, ut aeger inde deliraret, hoc
- p. 42. remedium feliciter profligauit. Sequitur colica, contra quam non minus, quam contra paralyses, quae post vehementiores colicas, v. c. saturninam et similes oboriuntur, remedium hoc plurimum vallet.
- p. 46. Idem quoque de obstructionibus catameniorum Noster asserit, quae multis remediis, frustra adhibitis, balneorum vsu solo saepe perfecte curantur. Probat hoc Cl. Auctor exemplo puellae viginti annorum scorbuticae, quanquam bonae admodum valitudinis speciem praese ferebat, cui, mensium fluxu prohibito, genu tumebat. Variis remediis frustra adhibitis, tumoreque tandem aperto, fluidoque, quod articulum occupauerat, emisso, synouia per quatuor menses tanta copia effluxit, ut aegra plane emacata, femoris amputatio necessaria esset: qua facta, cognoscetur, carie inferiorem ossis femoris partem, patellam et superiorem tibiam fibulamque exesefuisse. Vulnere autem fere clauso, vlcus subito nascetur, nullaque consolidatio vulneris fieri poterat, usque dum semicupium Noster adhiberet, in quo quinta vice facta, aegrae menses per tam longum tempus suppressae fluebant, illaque paullo post perfecte sanabatur. In alio casu balnei vsus, licet menses non proliceret, tamen symptomata, ex suppressione eorum orta, leuabat. Nec minorem utilitatem in fluore albo hoc auxilium praestat. Puella hoc
- p. 62. morbo

morbo defatigata, balneo marino vtebatur, nihil tamen leuata, iam pessime sese habens, Auctoris Cl. auxilium expetebat. Hic fomenta emollientia et vnguentum refrigerans ob acrimoniam ichoris profluentis suasit et iussit praeterea, vt ante subitum, vni spiritum incensum tubi ope per horae dimidium ad imam dorsi partem admitteret. Mitigabatur inde lumbago; frequente vero die mane fluor copiosior erat; adspectus antea sanus pallidus iam et luridus, vrinaque nocturna gelatinam satis spissam referebat. Quamquam vero aegra medelam propositam continuare recusans eam negligebat, tamen faciei color roseus et floridus magis ab hoc tempore fiebat, quam antea fuerat, fluxuque, qui per aliquot menses aegram defatigauerat, cohibito, lumbago penitus remisit, quinque ultimis noctibus vrina excreta prorsus putridum redolente. Alia quoque puella ex repetitis gonorrhoeis vehementi albo fluore laborabat et, adhibitis variis medicamentis, tamen lumbagine cruciabatur. Admittebat tandem balneum vaporis e decocto capitum rosarum ad vaginam vteri et incensum vni spiritum ad dorsum, vti in antecedente historia. His remediis per duos dies adhibitis, lumbago mitior fiebat dolor sensim remittebat et medela illa per tres hebdomadas continua, fluxus vterinus iam fere totus cessabat, quam curationem balnea deinde frigida plane absolverunt. Vrina vero toto eo tempore, quo vapores calidos adhibebat aegra, vti in priore putridum redolebat. Nono capite et sequentibus balnei vaporis virtutes in membrorum debilitate, rheumatismo, tumore et vacillatione articulorum, ankylosi et lue venerea enumerantur. Valde dolet de nondum in Bathoniensibus thermis institutis machinis, stillicidio inferuientibus, et nos miramur, Auctorem satis ceterum in excogitandis machinis ingeniosum, nunquam

p. 66.

p. 74.

quam ad balnea vaporis aeolipilam adhibuisse, cuius effectus singulares in doloribus exquisitis et morbis, quibus nulla alia medela videbatur sufficere, se expertum esse auctor nobis fuit Vir in arte medica facienda longo vsu exercitatissimus.

XIX.

THEODORI GERHARDI TIMMERMANN;
Med. Doct. et Prof. prim. Periculum medi-
cum Belladonnae, prolus. acad. Rintelii 1765.
4. pl. 4 $\frac{1}{2}$.

Quemadmodum experimentorum cum belladon-
nae infuso aduersus cancrum, praesertim oc-
cultum, captorum pluries iam in commentariis no-
stris facta est mentio; sic et in hac prolungatione, cuius
nunc suscipimus recensionem, varia testimonia at-
que obseruationes, quibus vel efficacia vel inutilitas
huius remedii euincitur, a Cl. Auctore publici iuris
factae sunt. Cl. DEGENERS in primis, apud Neo-
magenenses medicinam olim faciens, salutares eius ef-
fectus litteris, ad patrem Nostri datis, aliquoties lau-
dauit. Anno scilicet 1727 scirrum mammae ma-
lignum in duabus puellis belladonnae vsu decreuif-
fe, doloris plane expertem redditum, eiusque exul-
cerationem inhibitam fuisse asseruit. Sequenti anno
p. 6. haec perscripsit: *Quod belladonnam attinet, in cancro
occulto et scirrhis induratis dolentibus apud plures ae-
gras certo valde bonos eius effectus expertus sum. Non
enim tantum mitigat dolores blande et tuto, sed resol-
vit etiam aliquatenus tumorem, quamvis pedetentim et
lente. Id ad minimum facit, ut mali augmentum re-
primat.* Anno denique 1738 his verbis vpus est:
p. 10. *ultra viginti aegras recensere possem, quae per bella-
donnam sanatae sunt, absque eo, ut effectum quendam
aduersum*

p. 14.

aduersum obseruauerim, excepta modo virgine, quae
 post primam dosin tam anxia tamque animo confusa
 fiebat, ut morituram se crederet, quod tamen incommo-
 dum, elapsis duabus horis, cessauit. Cl. JUNCKERUS p. 22.
 quoque obseruationem cum Cl. Auctore communi-
 cauit notatu dignam: foemina nempe, mediae
 aetatis, cancro occulto, instar pugni magno, valde-
 que dolente laborans, post usurpatum per aliquot
 septimanas belladonnae infusum coeca est facta. Se-
 posito eius vſu et temperantibus adhibitis, oītiduo
 post visus rediit. Tunc remedio isto repetito, coe-
 citas denuo accessit, qua tamen rursus dissipata, tu-
 mor scirrhosus penitus euanuit. Ipse Cl. Aucto p. 24.
 tentamen cum belladonna in aegra quadam, 36. an-
 nos nata, instituit, quae cancrum, valde dolentem et
 fungosum, in dextra mamma gerebat. Huic per
 septuaginta quinque dies quoquis mane infusum ex
 duobus in principio, postea vero ex totidem granis
 cum dimidio foliorum belladonnae, recens siccator-
 rum et aqua feruida factum dedit, ita, ut summatim
 drachmae tres consumerentur. Paullo post huius
 infusi vſum, hora circiter dimidia elapsa, non solum
 in gena sinistra rubor, in brachium manumque sini-
 stram se diffundens, totamque interdum faciem oc-
 cupans, per duas plerumque, rarius tres horas du-
 rans et cum formicationis sensu euaneſcens, ſed et
 ſomnolentia atque nebula oculis obuerſans inſecuta
 ſunt, fungus vero mammae cancroſus, incredibilem
 quotidie ichoris copiam fundens, ad duos pugnos in-
 creuit. Qua re factum eſt, ut, omisso belladonnae
 vſu, phthisis cancroſa accedens, aegrotae vitam breui
 post eriperet. Haud feliciorem etiam ſuccesſum
 Cll. GATAKER et BROMFIELD in Anglia experti
 ſunt. Non minus hoc remedium in Belgio ſpeim
 medentium ſefellit, vti Noster testimoniiſ Cll. virorum
 VAN DER HAAR et VAN DOEVEREN conſir-
 mat;

mat; sed in Gallia Cl. DARLUC scirrhosas intestini
coli indurationes, Cl. AMOREUX vlcus mammae
cancrosum, Cl. MARTEAU et VAN DER BLOCK
cancrum occultum belladonnae ope sanauerunt. Ex
his obseruationibus, inter se collatis, constare arbit-
ratur Cl. Auctor, eadem scirrhos quidem resolu-
cancrum vero apertum vel exulceratum non domari
posse et demna, quae interdum secuta sunt, non re-
medio, sed ipsius dosi aut morbo tribuenda esse.

XX.

Noua physico-medica.

Regium collegium medicorum Holmiae *) consti-
tutum, quod septem assessoribus constabat, iam
auctum est his sociis:

Praeses:

ABRAHAMUS BAECK, Medicinae Doctor et re-
gius archiater.

Assessores:

GVILIELMUS KAMMECKER, Medicinae Doctor

ZACHARIAS STRANDTBERG, Medicinae Doctor

IOANNES BERGSTRAL, Medicinae Doctor.

IOANNES DARELIUS, Medicinae Doctor et ma-
gni nosocomii regii Holmiensis medicus.

IOANNES LINDHULT, Medicinae Doctor et ci-
uitatis Holmiensis Vicarius Physicus.

IOANNES BÖCKMAN, Medicinae Doctor, regius
archiater et ciuitatis Holmiensis Physicus.

ROLAND MARTIN, Medicinae Doctor, anatomiae
et chirurgiae Professor Holmiensis.

DAVIDES SCHULTZ, Medicinae Doctor, artis ob-
stetriciae Professor Holmiensis et Director.

PETRUS IONAS BERGIUS, Medicinae Doctor,
historiae naturalis et pharmaceutices Professor
Holmiensis.

Syndicus:

*) Vid. Commentar. nostr. Vol. XII. p. 171.

Syndicus:

ANTONIUS HOFFMANN, Medicinae Doctor.

Actuarius:

ISRAEL LANNE'R.

Regia, quae *Berolini* floret, scientiarum ac elegantiorum literarum Academia in conuentu publico, die 1 iunii 1769 habito, praemium classis philosophico experimentalis commentarii: *de ratione combinandi physicam cum oeconomia rurali etc.* *) Auctori *IOANNI IACOBI MEGEN*, philosophiae magistro et ecclesiae Goblicensis in Pomerania Pastori exhibuit.

Eodem die e classe philosophico theoretica ad praemium anni 1771 reportandum hoc est propositum problema: *Possuntne homines, naturae suae relitti, inuenire linguam et quo modo hoc fieri possit?* *En supposant les hommes abandonnés à leurs facultés naturelles, sont-ils en état d'inventer le langage?* Et par quels moyens parviendront-ils d'eux mêmes à celle invention? Expectatur ab Academia hypothesis, quae rem propositam absque omni dubitatione declarat.

Omnes, exceptis Academiae sociis, hanc soluere possunt quaestionem, ita tamen, ut ante diem 1. januarii 1771 commentarios, hac de re scriptos, ad Cl. FORMAV Academiae perpetuum secretarium mittant. Serius enim eos sine graui retardationis caufsa non accipiet. Porro rogantur quoque Auctores, ut nomina sua reticeant et solummodo cum dicto quodam schedulam obsignatam, quae nomen, sententiam, qua commentarius inscriptus est, et domicilium eorum continent, addant. Praemium monetae aureae quinquaginta numorum Hollandicorum distribuetur die 31 maii 1771.

Mm 2

Caesareo

*) Vid. Comment. nostr. hoc Vol. p. 169.

Caesareo-regia agriculturae et scientiarum Societas, quae Clagenfurti in Carinthia conuenire solet perlustratis elaborationibus quaestionis 1768 proposatae: *utrum cibare pecora in stabulis, an pascere lucrosius sit, tum quoad fimum, cum quoad usum reliquum, qui ex pecoribus prouenit* *), praemium adiudicauit germanico commentario, qui hac inscriptus est sententia: *Te quoque magna Pales et Te memorande canemus Pastor a Amphryso, et a IOANNE FRIDERICO MAYERO verbi diuini ministro Kupfercellae in principatu Waldeburgico, (idem bis iam 1767 et 1768 accessus a Societate acceperat), concinnatus erat. Pari modo gallica eiusdem quaestionis explicatio, cuius sententia haec: Experto crede Ruperto, et auctor era excellentissimus BALIOUD BOURGEOIS, accessus est ornata.*

Hoc autem 1769 anno quaeritur ab Eadem Societate: *Num et quo modo ager possit adaptari, que cum fructu seri queat triticum. Annuum praemium huic quaestioni dicatum, est moneta aurea, triginta sex aureorum pondere.*

Regia scientiarum Societas *Hafniensis* cum die 30 maii 1769 ad missas quaestionum ex physica, mathesi et historia depromptarum, elaborationes diuidandas et praemiis ornandas conueniret, inter physicas: *Factis scilicet iamiam nonnullis tentaminibus declinationem acus magneticae, eiusque variationem a priori computandi desideratur optima huius calculi methodus, selectissimis obseruationibus superstruxta et exemplis locorum australium aequinoctialium et borealium in utroque hemisphaerio comprobata* **) ea, quae inscripta erat: *Hic secundus ventus nunc est, cape modo versoriam,*

*) Vid. Comment. nostr. Vol. XIV. p. 696.

**) Ibid. p. 698.

riam, etiamsi hypothesis, qua auctor usus est, minime placuerit Academiae, praemio est condecorata.

Nunc ab *Eadem* quinque iterum hoc 1769 anno viris eruditis proposita esse problemata intelleximus, quorum quatuor, ex historia atque mathesi petitam, ideoque a nostro instituto aliena, relinquimus; id vero, quod physicam spectat, hic repetimus: *Invenire optimam antliarum incendiis compescendis aptarum structuram, ita quidem, ut cylindri, emboli, communicantes tubi, valuulae, vasa, si quae adfuerint, comprimendo aëri destinata, epistomia, consuti e corio serpentes, iisdemque annexae cochleae et tubi electitii etc. non iustum tantum robur, sed et proportionem legibus hydranlicis conuenientissimam sortiantur, ut vestes, suis fulti hypomochliis et sustentaculis ita aptentur ponderibus et potentius, ut integra machina aquis hauriendis eiiciendisque inuenta simplex sit et reparacionis minus indiga, ut commode moueri, per angustiores plateas facile transferri et ad incendia quaevis felicius restinguenda cum successu possit adhiberi.*

In exponenda hac re exteris pariter ac indigenis, exceptis Societatis sodalibus, lingua vel latina, vel gallica, vel teutonica, vel danica ut licet. Tractatus vero ante initium iunii 1770 ad Ill. virum HELMSTIERNA, potentissimo Danorum regi a consiliis sanctoribus, qui Societati ab epistolis est, solutis impensis, sunt mittendi. Praemium monetae aureae centum thalerorum Danicorum, finito eiusdem anni mense iunio, distribuetur. Reliqua, quae ad celanda auctorum nomina et notandos commentarios pertinent, cum legibus aliarum Academiarum plane convenient.

